
AUGUSTUS
Dux Brunsvicensis et
Luneburgensis

COMMERCIVM LITTERARIVM CLARORVM VIRORVM.

E MVSEO

RVD. AVG. NOLTENII.

BRVNSVIGÆ, MDCCXXXVII.

EX OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.

PR

L

I

WO

)(

G

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO
LVDOVICO
ERNESTO,

DVCI BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE GRATIOSISSIME,

Ad rempublicam plurima, inquit Cicero, veniunt commoda,

 si

ſi moderatrix omnium rerum præſto ſit ſapientia; hinc ad ipſos, qui eam adepti ſunt, laudem, honorem, dignitatem confluere. Quæ quum ita ſint, merito Germania noſtra, immo terrarum orbis, admiratur ſtudia ſapientiæ in Veſtra, Sereniſſime Princeps, aula a multis retro ſeculis uſque in hunc diem eſfloreſcere, ut Sereniſ-

eniſſimorum Majorum
Tuorum ſancta nomina
non tantum in annalibus,
de bellis & publicis rerum
eventibus compoſitis,
occurrant, ſed etiam in
hiſtoriis litterariis inter
eruditos magna venera-
tione celebrentur. Ne
ulterius aſcendam, quis
divum Julium, Henricum
Julium, Auguſtum, Ru-
dolphum Auguſtum,
Antonium Ulricum,
a 4 Fer-

Ferdinandum Alber-
tum, at quanta nomina!
ignorat, omne ſuum ſtu-
dium in doctrina & ſa-
pientia collocantes,& di-
vinis ingenii monumen-
tis in orbe litterario no-
tiſſimos. Quorum ve-
ſtigiis & TV, Sereniſſi-
me Princeps, cum Sere-
niſſimis Fratribus TVIS,
quorum natu maximus
terris noſtris glorioſiſſi-
me iam imperat, ab in-
eunte

eunte ætate inſtitiſti, & cum exercitiis Martis, litterarum ſacra, ſapientiæque ſtudium feliciſſime coniunxiſti. Nec defuerunt Vobis ad hanc rem conſequendam idonei duces & Ephori a B. Veſtro Parente glorioſæ recordationis dati, quorum fide & induſtria factum eſt, ut inter litteratiſſimos Germaniæ Principes numeremini.

Excurrerem, Sereniſſime Princeps, in laudes Tuas fuſius, & pietatem in Deum, humanitatem, temperantiam, vultus maieſtatem, amorem & favorem in litteras, aliaque corporis & animi dona, quæ in Te amico conſortio coniunctæ cernuntur, deprædicarem, niſi modeſtiam TVAM me offenſurum vererer. Tantum hu-

milli-

millime rogo, ut præſen-
tem Epiſtolarum faſcicu-
lum, in quo nonnullos
ad divum Henricum Ju-
lium & Auguſtum datas
deprehendes, Sereniſſi-
mo Nomini TVO inſcri-
bere, pro inſigni TVA
in litterarum cultores
benevolentia, patiaris,
& gratiæ TVÆ princi-
pali me de meliori com-
mendatum eſſe digne-
ris. DEVS, TE, Se-

reniſſi-

reniſſime Princeps, terrarum noſtrarum delicium, ſoſpitem & incolumem ſervet quamdiutiſſime.

SERENITATI TVÆ

Scrib. Wolffenbuttelæ
prid. Kal. Januar.
cIↄ Iↄcc xxxvii.

devotiſſimus cultor
RVD. AVG. NOLTENIVS.

PRÆFATIO
AD
BEN. LECTOREM
DE
POTIORIBVS EPISTOLARVM COLLECTIONIBVS.

Epiſtolæ clarorum in orbe litterario virorum, quæ vel ipſis viventibus, vel poſt mortem ab aliis editæ ſunt, a voluptate & inſigni fructu ſeſe ſemper eruditis commendarunt. Quo diffuſior cujusdam eruditio, quo ſubactius judicium, quo maior nominis fama, & frequentior cum doctiſſimis amicitia, tanto plura ex epiſtolis eius licet diſcere. Variatio argumenti, libera iudicia, ioci & alia huc ſpectantia mirifice delectant. Multa de fatis tum proſperis, tum

tum adverſis, de ſcriptis, de variis eruditorum deſtinationibus, de methodis ſtudendi, de facilioribus ad ſcientias perveniendi ſubſidiis, de controverſiis belliſque litterariis, laterent, niſi epiſtolarum ope id erueretur. Neque tamen illorum opera, iudice *Henr. Meibomio*, probanda eſt, qui nimis libera de auctoribus iudicia, & adfectuum plena, immo iniurioſas voculas ex eiusmodi epiſtolis non tollunt prius, quam eas edant, quum non minus peccet, qui aliorum male dicta publicat, quam qui primus ea pronunciat; immo plus peccet, quum prior in amici ſinum ea tantum effuderit, hic ad omnes etiam poſt mortem, lite quaſi renovata, pervenire faciat. Vt merito de editione litterarum *Joh. Scaligeri ab Heinſio* procurata, apud ſocerum ſuum *Franc. Junium* conqueratur *Voſſius*. Is tantum epiſtolarum edendarum debet eſſe ſcopus, ut indicem charactereemque animi hujus vel illius eruditi perſpiciamus, eorum inſtituta & labores pernoſcamus, pſeudonymos & anonymos detegamus, varia eruditorum fata & honorum acceſſiones intueamur, & iudicia viventium de libris editis erua-

eruamus. Longe autem præſentis ſeculi mores recedunt a ſuperiorum temporum elegantia in eo, quod commercia litteraria olim ſermone latino inter viros doctos inſtituta ſint, hodie vero maxima epiſtolarum & librorum pars patrio idiomate conſcribantur, ut, qui ea legere & cognoſcere velit, multarum linguarum notitiam ſibi comparare, & potiſſimum juventutis tempus in iis ad diſcendis terere, ne dicam perdere, debeat. Quem in finem ſequens Petri Burmanni iudicium, quod habet in oratione *de publici humanioris diſciplinæ profeſſoris proprio officio & munere*, cum hiſtoriarum, græcæ linguæ & eloquentiæ profeſſionem auſpicaretur, Lugduni Batavorum anno 1715. habita & impreſſa, adponere lubet: Proludit iam huic Romani ſermonis ruinæ ſtrenua illorum inertia, qui patriæ linguæ excolendæ & expoliendæ ſpecie, graviſſima etiam reconditarum diſciplinarum capita, vulgari oratione in populum enunciant & edunt; qui ut plebi & mulierculis ſe jactent, diverſarum gentium & diſſimilis ſermonis eruditos ſuaviſſima ejusdem linguæ ſocietate defraudant, & omne inter litteratos per uni-

versum orbem commercium, neglecto latinæ linguæ, quæ doctis vernacula esse deberet, usu, tollunt. Huic libidini & insaniæ exemplum ambitiosa & corrupta Francorum nationis portio dudum præbuit, quæ tota in domesticæ linguæ curam & studium conversa & æmula Romanæ potentiæ, imperii istius fines non modo dominatione, sed & sermonis sui propagatione æquare laborat. Quæ jam græcos & latinos oratores & poëtas non modo omni sale & venere spoliavit, sed balbutire, immo ineptire & nugari docuit. Quæ, ut ignaviam & furta lenociniis vernaculæ loquacitatis commendet, & prioris ævi doctissima monumenta e manibus excutiat, spoliis eruditi orbis & alienis plumis ornata, ingenti & inutili libellorum, non tam pondere, quam turba nos quotidie fatigat. Sed utinam intra hujus gentis, semper aliquid novi adfectantis, semidoctos magistros hæc eloquentiæ priscæ & studiorum pestis se contineret, nec ad degeneres Francicæ levitatis imitatores & turpissimas simias hæc contagio transiret. Hactenus *Burmanni* querelæ.

Magna autem jam prostat epistolarum

claro-

clarorum virorum in republica litteraria ſeges, quæ vel quod ad ſingulos vel unum & alterum auctores publicatæ ſunt, v. c. *Acidalii*, *Aretini*, *Aſcharii*, *Balſacii*, *Barlæi*, *Bartholini* junctis *Cratonianis*, *Baudii*, *Bælii*, *Bembi*, *Berneggeri*, *Bezæ*, *Boineburgii*, *Bongarſii*, junctis *Lingelsheimianis*, *Boxhornii*, *Tychonis Brahe*, *Bruti*, *Buchanani*, *Buchneri*, *Guil. Budæi*, *Calvini*, *Camdeni*, *Joach. Camerarii*, *Campani*, *Carteſii*. *Caſauboni*, *Caſelii*, *Cellarii*, *Choppini*, *Chytræi*, *Clemangis*, *Clenardi*, *Conringii*, *Crucii*, *Cunæi* junctis ad eum reſponſoriis, *Daumii*, *Erythræi*, *Tanaq. Fabri*, *Fabricii*, *Ferrarii*, *Marſil. Ficini*, *Forſtneri*, *Gesneri*, *Goldaſti*, *Grotii*, *Gruteri*, *Grynæi*, *Heinſii*, *Henckelii*, *Eob. Heſſi*, *Hœpferi* junctis *Mareſianis*, *Holſtenii*, *Horſtii*, *Howelſii*, *Melch. Junii*, *Kepleri*, *Langii*, *Langueti*, *Latinii*, *Lauri*, *Lipſii*, *Longolii*, *Launoji*, *Lutheri*, *Manardi*, *Manutii*, *Marbachiorum* a Joh. Fechtio editæ, *Mareſii*, *Petr. Martyris*, *Melanchtonis*, *Miltoni*, *Mirandulæ*, *Thomæ Mori* & *Petri Morini* una cum utrorumque operibus publicatæ, *Mureti*, *Naudæi*, *Newtonii*, *Patini*, *Peireri*, *Petrarchæ*, *Phi-*

lelphi, *Philiathæi*, *Piccolomini*, *Pignorii*, *Puteani*, *Reinesii* junctis *Bosianis*, *Richteri*, *Erasmi Roterodami*, *Rubenii*, *Ryconii*, *Sacrati*, *Sadoleti*, *Salmasii*, *Paul. Sarpii*. *Sarravii*, *Scaligerorum*, *Schickardi*, *Schurzfleischii*, *Sepulvedæ*, *Siberi*, *Simonii*, *Sorberii*, *Sturmii*, *Trithemii*, *Vannocii*, *Vectiani*, *Velseri*, *Petr. de Vineis*, *Ludov. Vivis*, *Vossii*, *Bonav. Vulcanii* & ad eum editæ, *Wicelii*, *Wowerii* aliique. Vel a diversis scriptæ in certa volumina digestæ sunt, quorsum refero Epistolarum miscellanearum ad *Frid. Nauseam* Blancicampianum, Episcopum Viennensem, singularium personarum libros X. Basil. 1550. fol. opus rarissimum; SCHLVSSELBVRGII epistolarum clar. quorundam theologorum & aliorum doctissimorum virorum volumen, Rostoch. 1624; Epistolas & alia quædam monumenta doctorum, studio *Joach. Camerarii*, Lips. 1568. *Angeli Politani* & aliorum virorum illustrium Epistol. libr. XII; *Rein. Reineccii* ad se scriptas clarorum virorum epistolas; Eruditorum virorum epistolas ex museo *Jaskiano*, Dantisci 1670; Epistolas doctorum virorum ad

Melch.

Melch. Goldaſtum, ex bibliotheca H. G. *Thulemarii*, Francof. 1688. Collectionem *Mich. Bruti*, & quam *Sim. Ab. Gabbema* Friſius, Harlingæ excudi curavit; HEINSII epiſtolas ſelectiores vel a Belgis vel ad Belgas ſcriptas; *Aldi Manutii* collectionem; item Præſtantium & eruditorum virorum epiſtolas eccleſiaſticas & theologicas, Amſtelod. 1684. junctim impreſſas; quæ omnia fere partim quod ad editiones, partim quod ad contenta, addita epicriſi, recenſentur in LIPPENII *Bibliotheca reali Philoſophica*, MORHOFII polyhiſtore litterario, in eruditis B. HENR. MEIBOMII *additamentis ad Vogleri introductionem in hiſtoriam litterariam*, nec non B. G. STRVVII, viri meritiſſimi, *introductione in notitiam rei litterariæ*, ut ita fuſiori horum epiſtolicorum ſyntagmatum recenſione ſuperſedere poſſim.

Nec recentioribus temporibus & noſtra memoria defuerunt, qui varia litteraria commercia cum erudito orbe communicarunt, laudarique merentur MARQ. GVDII & doctorum virorum ad ſe epiſtolæ, junctis Claud. SARRAVII

ex bibliotheca Gudiana auctiores, curante *Petro Burmanno*, Vltraject. 1697. Cui celeberrimo auctori quoque debemus Sylloges Epistolarum a viris illustribus scriptarum Tomos quinque, Leidæ, anno 1727. nitidissime typis vulgatos. *Joh. Gottfr. Olearii* scrinium antiquarium, seu summorum virorum epistolæ ineditæ, Jenæ 1698. *Joh. Wilb. Meelio* debemus duplicem litterarum collectionem, quarum altera HOTTOMANNORVM & clarorum ad eos epistolas cum aliis aliorum comprehendens, Amstelodami 1700 lucem vidit; altera selectarum epistolarum ibidem 1701. publici juris facta est. Anno 1703. subsecutæ sunt epistolæ clarorum virorum ad Georg. Casp. *Kirchmaierum*, Witeb. 8. anno 1709. Roterodami prodierunt ISAACI CASAVBONI Epistolæ, insertis ad easdem responsoriis, it. MERICI CASAVBONI I. F. Epistolæ, curante *Theodoro Janson ab Almeloveen*. Collegit etiam circa hæc tempora & edidit B. *Fabricius*, Hamburgensium immortale decus, epistolas I. G. GRÆVII, bis intra breve temporis spatium typis excusas. *Antonii Matthæi*

cura

cura prodierunt 1695. Lugd. Batav. virorum eruditorum Epiſtolæ; nec non Sylloge hactenus ineditarum epiſtolarum, ibid. 1711. Lipſiæ vero, anno 1714. comparuerunt Clarorum virorum epiſtolæ CXVII. e bibliothecæ Gothanæ autographis, & Jenæ, eodem anno, *Reineſii* & *Boſii* epiſtolæ mutuæ, jam ſupra nominatæ. Anno 1715. Amſtelodami publicatæ ſunt: Epiſtolæ celeberr. virorum H. Grotii, G. I. Vossii, A. Schotti, I. Wowerii, D. Heinsii, G. Gevartii, I. F. Gronovii, G. Patini, N. Heinsii, aliorumque ineditæ, ex ſcriniis *Jani Brantii.* Anno 1728, Hamburgum nobis dedit Epiſtolas diverſi argumenti, obſtetricante *Ad. Henr. Lackmanno*: & proxime ſubſecuto anno, Viri Clar. *Joh. Henr. a Seelen* Philocaliam epiſtolicam, ejusdemque delicias epiſtolicas. Quantum epiſtolarum ineditarum Megalandri Lvtheri numerum, in operibus ejus ſplendide recuſis & auctis, produxerit celeberrimus Lipſienſium Theologus, D. *Börnerus*, inter omnes conſtat. Inſeruit etiam Dn. de *Goebel*, operibus Hermanni Conrin-

GII Anno 1730. plurimas hujus viri hactenus ineditas epiſtolas, in ſupplementum Voluminis Epiſtolarum & Syntagmatis epiſtolici Conringiani; quod ultimum commercium litterarium inter Conringium, Ferdinandum Epiſcopum Paderbornenſem & Baluzium Tutelenſem continet. Anno 1731. vir clariſſimus *Joh. Petr. Kohlius* collegit Epiſtolarum faſciculum *Majoragii*, *Grævii*, *Bartholini*, *Schefferi* aliorumque, & de vita ſcriptisque Majoragii docte præfatus eſt. Silentio prætereo Clariſſ. *Heumanni Poecilen*, *Schelhornii Amoenitates litterarias* & *Coleri Anthologiam*. Poſt B. *Fellerum* etiam Clariſſimus *Chriſtianus Kortholtus* duos tomos epiſtolarum LEIBNITZIANARVM in lucem exire juſſit, pluraque Leibnitiana tum ab hoc viro diligentiſſimo, tum a Clariſſimo Helmſtadienſium Philoſopho, *Frobeſio*, Amico noſtro æſtumatiſſimo, exſpectantur. Molitur etiam amicus quidam noſter ſupplementum epiſtolarum B. MELANCHTHONIS, tum hinc inde diſperſarum, tum anecdotarum. Quantum epiſtolarum Clarorum Virorum

rum adparatum Reverendus Hamburgensium Pastor *Ioh. Christoph. Wolffius* ex bibliotheca Vffenbachiana adquisiverit, docet eius *conspectus supellectilis epistolicæ* & *litterariæ manu exaratæ*, observationibus variis & epistolis nondum editis distinctus, Hamburgi nuper publicatus. Possidet quoque clarissimus Giessensium Historicus *Ayrmannus*, amicus noster, magnam litterarum farraginem, in quibus notabiles sunt, quas nobilissima femina *Windsor* ad Spanhemium, & *Michael Siricius*, Theologus Meclenburgensis ad diversos scripsit.

Et mihi felicitas obtigit, in academiis, quas frequentavi, diversas eruditorum epistolas colligendi, ex quibus eas, quæ ad historiam litterariam aliquid conferre possunt, in lucem publicam emittere animus est, primumque earum fasciculum, instar Prodromi, hic tibi, B. L. sisto. Qui sint earum auctores, ad quos scriptæ, & quale potissimum earum argumentum, peculiares docebunt indices, quos adiunxi. Plerasque de-

 beo

beo humanitati & instructissimis bibliothecis perillustris *Wrisbergii*, Regis magnæ Britanniæ Consiliarii intimi; Excellentissimi *Meibomii*, Sereniss. Ducis Brunsu. Luneb. Consiliarii regiminis, & admodum reverendi *Maertensii*, Diaconi apud nos aulici, cui postremo ultra ducentas epistolarum Caselianarum ineditarum debeo, ex quibus singulis tomis certum numerum inserere constitui. Vitam & scripta B. Caselii, viri docti, pii & candidi, fuse illustravit vir Clariss. *Jac. Burchardus* nostras, qui editionem operum Caselianorum olim molitus est. Recensuit præterea litterarum Caselianarum collectiones B. *Polyc. Lyserus*, & designationem ineditarum, quas ille prelo parabat, inseruit *Amœnitatibus litterariis*, quæ Lipsiæ in forma octava lucem viderunt. Quum varia Caselii inedita poëtica in manibus meis sint, fortasse cuidam epistolarum Syntagmati adjungenda, non possum non, quin in antecessum moneam, B. *Dransfeldum* collectioni carminum Caselianorum de 1668. plurima inseruisse, quæ jam tum in collectione *Henrici Hudemanni* Hamb.

Hamb. 1624. 8. edita reperiuntur, ut sunt
Sententia in Senatu pag. 88. collect.
Dransfeldinæ.
In ἀλόζωνας ἀπαιδεύτας. pag. 89.
Ταμίας. pag. 114.
Ειλαλήθης. pag. 120.
Βλάσκανος. pag. 123.
Ειμαρμένη, vitæ mortalium pag. 127.
Σώφρων, modestus, sobrius pag. 153.

Conringianarum epistolarum germanico idiomate ad divum AVGVSTVM ejusque illustria Collegia exaratarum, ex archivis nostris descripsi plurimas, quas tamen, quum diversa arcana contineant, publicare ratio status vetat. En tamen sequentem ad divum *Rudolphum Augustum*, Ducem Brunsuic. Luneb. generum Conringii concernentem:

Durchlauchtigster Hertzog,
Gnädigster Fürst und Herr,

Ew. Fürstl. Durchl. mit dieser unterthänigsten Supplication zu behelligen, werde ich gemüsset, aldieweilen mei-

meiner Töchter eine durch ſonderliche göttliche Schickung iſt verlobet an Ehrn D. Reichenbach, Chur-Pfältziſchen, wie auch Birckenfeldiſchen und Gräflichen Hohenloiſchen Rath und Juris Profeſſore zu Heidelberg, und zuur Prieſterlichen Copulation alhier der dritte Tag ſchierskünftigen Monats Julii iſt berahmet und angeſetzet. Wann nun aber ſolche Copulation ohne allen Gepreng und in der Enge anzuſtellen die Notturfft erfodert, indehm beyde interesſirte Perſonen im Wittiben-Stande begriffen, der Bräutigam an hieſigen Ort unbekant, die Braut gleichfals nur anhero gekommen, ihre Eltern zu beſuchen, ich auch mehrentheils Leibes-Schwachheit halber muſs zu Hauſe mich behalten, und den gewöhnlichen Kirchgang nicht kan verrichten, zugeſchweigen, daſs die ietzige Leufften alles unnötiges einzuziehen einem ieden den Weg zeigen; So gelanget an Ew. Fürſtl. Durchl. meine unterthänigſte Bitte, Sie geruhen gnädigſt zu vergönnen, daſs ermeldte Prieſterliche Copulation in meinem Hauſe ohne

ohne alle Weitläufftigkeit müge verrichtet werden. Weilen Ew. Fürstl. Durchlauchtigkeit andern Dero Professoren und Ministris ein gleiches gnädigst hat gestattet, auch oben im Reiche und sonsten hin und wieder es keinem wird versaget. Als lebe der ungezweifelten Zuversicht, Ew. Fürstl. Durchlauchtigkeit werden auch mir und den Meinen diese hohe Gnade wiederfahren lassen. Der Bräutigam wird bey seiner Ankunft, nebens Ablegung dessen, was ihm gnädigst von seinen Obern committiret, bey persöhnlicher Aufwartung der Hochfürstlichen Gnaden halber sich unterthänigst selber bedancken, und ich nicht unterlassen, auch dieses Ew. Fürstl. Durchl. gnädigsten favor allemahl zuzuschreiben, wie ich dann bin und verbleibe

Evv. Fürstl. Durchl.

Helmstädt,
den 11. Junii 1677.

Zeit Lebens
getreuester Knecht
H. CONRING, D.

Quibus litteris, ut apud nos moris eſt, ad ducale Conſiſtorium miſſis, Superintendenti Gener. Helmſtadienſi d. 14. ejusdem menſis mandatum fuit, ut neonymphis privatam copulationem permitteret.

Ad illuſtrationem epiſtolarum *Hilarii* & *Daumii*, ſequens Daumianarum litterarum de 1679. ad Hilarium excerptum præfatiunculæ huic inſerere, conſultum putavi:

Hieronymi mei, quisquis etiam ille fuerit, aliud adhuc ſcriptum nobiliſſ. Heinſius poſſidet, a Gabr. Naudæo ſibi donatum, cujus inſcriptio: Τȣ̃ μακαρίȣ Ἱερωνύμȣ φιλοπονία παντὶ χριστιανῷ ὠφελȣ̃σα. Edidit illud Federicus Morellus e bibliotheca regia Lutetiæ iunĉta verſione. Rogavi ipſum Heinſium, ut mecum communicaret; quod an ſit facturus, docebunt proximæ ejus litteræ, quas ad meas exſpecto. Ipſe Hieronymus meus Italis pergratus fuit, quemadmodum magni Ducis Hetruriæ Bibliothecarius, Anton. Magliabechius, ad me ſcripſit ſibi admodum fuiſſe acceptum, præſertim cum

non

non repererit in Bibliotheca Patrum superiore anno Lugduni in Galliis XXVII. tomis procurata. Quemadmodum & homiliæ Patrum, quarum nullum apud me exemplum exſtat amplius. acceptisſimæ fuerunt, Rotomagi Clariſſ. Emerico Bigotio, & procul dubio etiam Hieronymus non ita pridem miſſus &c. Cygneæ 1679.

CHR. DAVMIVS.

Qua felicitate epiſtolæ *Baluzio-Conringianæ* ad me pervenerint, in notula illis præmiſſa indicavi.

Ex epiſtolis ad illuſtres *Meibomios* datis, promulſidis loco, paucas in præſentia produco, ſecuturis collectionibus plures inſerturus doctisſimorum Europæ virorum, qui ſeculo poſt C. N. XVI. & XVII. vixerunt: præſertim quum talia ab humanitate ſupra memorati Meibomii ejusque fratris, Medici Helmſtadienſis celeberrimi, exſpectem. Si qui eruditorum indigenarum & exterorum conatus noſtros promovere cupiant, & unam alteramque epiſtolam clari cujusdam viri, publicatu dignam in ſcriniis ſuis ſervent,

vent, eos obſervantisſime rogatos volo, ut mihi earum originalia, quæ bona fide a me ſuis auctoribus reſtituentur, transmittant. Nam ſolis exemplis ſ. copiis vel fidem nullam, vel ſemiplenam tribuo, quum impoſturæ & fraudes circa diplomata & litteras hodie ſint magnæ & variæ. Ceterum primitiis hiſce, Benevole Lector, cum voluptate & fructu utere & nobis fave, resque Tuas age feliciter. Dab. Wolffenbuttelæ e muſeo, Idibus Decembr.

CIↃ IↃCC XXXVI.

EPI-

EPISTOLA

D. IOANNIS CRAIGI, *Scoti*

AD

TYCHONEM BRAHE.

I.

Nobilissime & Clarissime Vir, amice honorande,
S. P.

SVb præteritæ hyemis initium, Vir Magnificus, *D. Guilielmus Stuartus*, mihi litteras tuas, & librum, quem misisti, reddidit: quibus, ut in manus meas venere, avide perlectis, delectatus sum plurimum; nam non solum erudita intri-

catæ quæſtionis tractatio, in qua eximiam doctrinam & ſingularem induſtriam perſpexi, mirum in modum placuit, ſed etiam gratiſſimum fuit, tam amicam erga me voluntatem in te Viro præſtanti cognoſcere. Pro iſta tua humanitate & libro tuo, quo me honorare libuit, ago, quas poſſum, gratias, cumque ſimili ſtudiorum fructu reſpondere nequeam, animum tui peramantem, tuæque amicitiæ ſtudioſum profiteor. Quod eam Liddelius noſter mei apud te fecerit mentionem, ex amore quodam id ſuo egit: quod vero te ad amicitiam mutuam invitaverit, mihi rem gratam, & quam multis ante annis expetitam a me fuiſſe ſcierat, fecit. Nam a quo doctiſſimus *Wittichius* ex Dania redierat, tua ille tantopere prædicavit, ut ab eo tempore te ſemper in amore & honore habuerim, & ante quinquennium, cum in patriam per Porthmum veſtrum navigarem, quæ ille commendaverat, coram intueri cupieram & conſtitueram: ſed ventis contra afflantibus & pro tua Vrania Norvegicis ſcopulis ad menſem obiectis, ægre votis fruſtratus ſum. Ab eo tempore acceſſit honorifica noſtratium Legatorum de admirandis tuis Inſtrumentis, nam de aliis iudicare vix poterant, commendatio: quæ illud amicitiæ tuæ deſiderium renovavit & auxit, adeo, ut ſuperioribus annis ſæpenumero in animo habuerim, meis litteris initium eius facere: quod non acciderit, vitæ noſtræ ratione eiusmodi cogitationes ſubinde excu-

excutiente factum est; quod tu nunc prior id egeris, & comitatem agnosco, & benevolentiam grato animo complector: meque vicissim teneri statuo, ut quod a te bene cœptum est, a me, quo poterit studio, in posterum colatur & conservetur. Quod quidem non illibenter faciam; nam quamvis exiguum sit, quod ipse polliceri potero, in tanta earum rerum oblivione, in quibus tu excellis: iucundum tamen erit, de iis nonnunquam tecum conferre, a quo summa quæque expectare licebit. Nam & sic liber tuus, licet ab undecim hinc annis eiusmodi vix attigerim, tam fuit acceptus, ut accuratas eius observationes, & ingeniosas demonstrationes summa cum voluptate legerim; ac, pro veteri nostra erga has disciplinas affectione, studiosis earum plurimum gratulor, esse eiusmodi Artificis, quibus nec ad perfectam scientiam, nec ad absolutam operationem quicquam deesse videtur: tantumque de illis studiis te meritum esse statuo, ut omni commendatione dignissimus sis. Sed ad litteras tuas nunc veniam, quibus citius respondissem, nisi continuæ peregrinationes nostræ ab initio Februarii, vix unum diem domi esse concessissent. Ex Anglia ante paucos dies domum reversus, nonnihil otii sum nactus ad tua relegenda & iterum expendenda; nec tamen ut cuperem. Nam si reliqua suppeterent, experiri vellem, an Cometas nostrorum numeris possem cœlo deducere in nativum

ſuum locum inter Ariſtotelis fumoſitates. Sed hoc alterius erit otii & maioris earum rerum recordationis. Nunc pro præſenti occaſione, quantum occupationes permittent, paucis reſcribam. Litteris tuis a me petis, ut ſententiam meam candide ſignificem. Quod ad id attinet, mihi tua vehementer placent, & inprimis illud nobile ſtudium in corrigendis ſtellarum locis & motibus & exactionibus numeris ſubiiciendis ſupra modum commendare oportet, quo ut pergas nomen tuum inter illos æternos numeros conſecrare hortari vix audeo, cum ſummo conatu eo te ferri omnibus neceſſariis inſtructum iam palam conſtet: ſi ullam operam in tam nobili conatu præſtare tibi poſſem, non deeſſem; ſed nobis nec tam accurata inſtrumenta hic ſunt, nec his cœleſtibus a caducis corporibus vacare licet. Nunc enim magis *Rahorbaum* & *Sene* ſimiliaque expenduntur, quam omnes Planetarum gyri. Verum, Nobiliſſime Vir, cum ad eam contemplationem te ille æternus omnium Creator vocaverit, iisque, quibus oportuit, inſtruxerit, macte hac felicitate & virtute utere, ut talento tuo poſteritati lucrifacias. At non paradoxis: nam in genere loquor, veritatis cauſa, ſed acceptionibus, diſciplinis. Hoc etenim tuum, in quo Ciceronem te mathematice imitari voluiſſe mihi perſuadeo, minime arridet. Non enim placet ſapientisſimi architecti perfectisſimum ordinem obſcurari, & mutabilibus cum

immu-

immutabilibus confusis, ἀταξίας chaos introduci. Nec latet alios ante te in ea fuisse opinione, contra quos aliquando meditabar in *Cometometria* nostra disputationem. Verum cum illi nullis rationibus eo fuerint inducti, evidentius est, quam ut ostendi debeat. Nemo tam multis id conatus est, quam tu. Quod an effeceris, ego quidem affirmare nequeo: mihi enim Physicorum coniecturæ ex rerum naturis sumtæ magis consentaneæ esse videntur. Et ne absque ratione ita sentire me existimes, paucis tuam, si non ingrata fuerit veritatis inquisitio, excutiam. Primis quinque capitibus, quæ de apparente loco & motu Cometæ demonstrasti, præclare a te constituta videntur, nec si numeri constent, contradictioni locus est. Sed sexto capite plus ultra progrederis, cœlum novis corporibus aperturus, ubi nihil istis locis esse Aristoteles demonstravit. Neque tuæ rationes eius authoritati hic prævalere censendæ sunt, si diligenter examinantur. Nam illæ tres maximæ, quas prima comprobatione affers, probabiliter duntaxat, ut ipse fateris, pro sententia tua faciunt, sed quæso quorum ante authoritate fuerint approbata, ut probabilem concludendi vim habeant? Sed sint tales: vt arcum maximi circuli describere sit in Cœlo esse: qnod Phænomenon tuum talem descripsisse tibi visum sit, demonstras; sed an aliis similiter moveri apparuerit, dubito. Tibi videtur materiæ causa circulum magnum

deſcribi non poſſe, quod vagabundius hinc inde ab eiusmodi orbita potius expatiaretur, ac ob id ingenitam ipſi motus ſui ſcientiam adſcribis. Mihi tam intelligens fuiſſe nequaquam conſentaneum exiſtimatur, quin potius illum motum materiæ cauſa accidiſſe: quippe alias non fuit, quam a primi motus numero retardatio, quæ maior circa initia extitit, cum moles maior plus ſubſiſteret, ſubinde & quaſi proportionaliter decreverit, flamma æqualibus temporibus materiam lychni inſtar depaſcente, quod non in minorem, ſed maiorem abierit circulum, argumentum eſt, variaſſe a terra remotionem, materia nimirum in dies magis ac magis extenuata, & flamma ad ſuperiora prævalente: quæ Phyſica ipſius motus ratio, magis conſentanea eſt, quam ſtatuere animal fuiſſe logicum, ſeu αὐτοκίνητον, a ſua motrice mente corpus. - - - In longitudine Vraniburgi & Pragæ ab aliis differre videris, quod Pragam facias Vraniburgo orientaliorem cum ut de aliis non dicam, in Ortelii mappis longitudo Pragæ ſit circiter 32. Vraniburgi vero 35. quæſo ad me perſcribas exactas, quas habere poteris hic loci, Pragæ & Caſſiliæ longitudines. - - - Sic eſt Syſtema conſtituendum, ut habeat Mathematicus, in quo acquieſcat, nec Phyſico ſit, quod obmurmuret; nam nequeunt horum Philoſophorum demonſtrationes contradicere. Illuſtriſſimi Domini Landgravii obſervationes valde placent, nec dubito, quin ex iis poſſit quæ-

ſtionis

ſtionis veritas elici. Rudes *Mæſtlini* & *Cornelii* notationes licet ad apparentem modum oſtendendum aliquomodo faciant, ad Cometæ ſitum demonſtrandum nihil conferunt. Et illum Philoſophia Tubingenſis melius potuit inſtituere, niſi phantaſiæ oſtentande cauſa eiusmodi figmenta publicare voluiſſet. *Haggecius*, quæ in nova ſtella parum ex arte præſtiterit, me non latet, ut mirum non ſit in hoc Cometa tam fuiſſe incertum. - - Non enim adhuc conſtat, nec demonſtratum eſt ab ullo, quantum ſcio, qua ratione poſſit Cometarum definiri remotio, ſi proprium habeant motum. *Regiomontani* demonſtratio in abſurdum abit. *Digaſſæi* alæ non pertingunt eo, & illa doctiſſ. *Witticbii* (quem ad cœleſtia migraſſe, ad quæ ſummo ſtudio ſemper adſpirarit vehementer doleo, vel Mathematum cauſa) quam ſub Sculteti nomine reprehendis, quamvis ei concedentur obſervationes, nihilo magis rem expediet. - - Cum itaque dimenſionibus mathematicis ad locum Cometarum nondum ſit deventum, quid in hac quæſtione ſtatuemus? Ipſe nondum a Præceptore Ariſtotele diſcedo, qui mutabilia ab immutabilibus, ut naturis, ſic locis diſcernere docuit, illaque orbis lunaris complexu comprehenſa, nulla natura vi ſupra poſſe efferri demonſtravit. Si mathematicas requiris demonſtrationes, cum alia pro tempore non ſuppetant, D. Wittichii aſſumam. - - Atque hæc ſunt, quæ ad paradoxon tuum afferre volui; quæ quidem non alio modo allata

ſunt, quam ut oſtendam, quibus ipſe adducar, cur ab eruditis Phyſicorum coniecturis nequeam adhuc diſcedere: ut in bonam partem ea accipias, vehementer peto. Audio, Clariſſ. Vir, te in Chymicis excellere, ſi quid ſingularis in hoc artificii genere habes, ſive ad extractiones faciendas, ſive ad aquas purgantes, vel tale quid pertineat, quæſo mihi communices: Habent Germani, ut accepi, nunc inventum, quo diſtillatis corpus expurgant, quo licet non indigeamus, tamen ignorare non cupio: ſæpius id experiri cogitavi, ſed cum non ſuaderet ratio, ne operam & oleum, ut non ſemel mihi accidit, perderem, omiſi: Verum charta deficiente finem faciam, & hæc quæ reſcripta ſunt, boni conſule: nam diligentius iſta tractare, ægre non patiuntur. Vale. Datæ Edenburgi in Scotia, in Martio primum, poſtea ſub Maii initium.

Tui amantiſſ.

IOANNES CRAIGVS,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctor.

II.
AD TYCHONEM BRAHE.

Dedi ante ad te litteras, nobiliſſime Vir, quibus tuis reſpondi, ſed in ea feſtinatione ſcripta ſunt, dum alio avocarer, ut relegere attente, quæ ſcripſeram, non potuerim. Paucis expoſui, quid de quæſtione a te mota ſentiam non contradicendi animo, ſed veritatis & amicitiæ noſtræ cauſa; quo modo ut accipias peto:

His

His litteris ſimili modo dignam tractarem quæſtionem, ſed communis lætitia ita animum meum occupavit, ut ab ea ad eiusmodi ſpeculationes abſtrahi nequeat: alia erit occaſio, nunc quod omnium apud nos iudiciis ſalutare huic regno fore videtur, & omnium votis vehementer optatur, id ut veniat & feliciter & ſtatim, Deum oramus. Nihil etenim æque in votis omnium eſt, quam ut clementiſſ. Domino noſtro coniux ſit, quæ hac illuſtri Legatione petetur; nam inde optimas Reginas ſemper experti ſumus, & nunc fore ſperamus: mihi quidem dubium non eſt, cui Progenitores Illuſtriſſimæ Principis partim viſi: partim aliter noti ſunt: ſed id omnes metuimus, cum brevi temporis ſpatio, longo locorum intervallo tanta res peragenda ſit, ne tantum bonum nobis, quam ſtatim optamus, non contingat: ſed vobis aëra fatigabimus, ut hinc inde ventos aſpiret ſecundos. Et Deum oramus, ne ulla hominum conſiliis ſit mora. Ille igitur, in cuius manu corda Regum ſunt, ita omnia proſperet, ut & hominum conſilia & Principum in hoc uno propoſito affectus uniat. Illuſtrem Dominum Legatum comitantur ex amicis noſtris aliqui, Dom. Skynens, Iurisprudentia & dignitate apud nos præſtans, & doctiſſimis in Germania viris olim clariſſimus: Nobilis Iuvenis Marcus Swuntanius, propinqua affinitate mihi iunctus, adoleſcens egregiæ indolis & exſpectationis; Thomas Nicolſonius, Philoſophiæ Magiſter. Hos tua benevolentia complectaris, & amicitia

etiam digneris peto: præsertim apud te meo sit loco affinis meus: Incessit me quidem hoc tempore cupiditas tui visendi, sed ab agris nobis abesse vix licet: meo loco, ut dixi, hos habeas. Vides quomodo familiariter tecum agam, ac si non recens, sed multis annis confirmata esset nostra amicitia, at ea tamen est, ut mihi persuadeam, ut id abs te petere & expectare audeam. Ad me si vestratium aliquos venire contigerit, sunt illi omnes ac apud nos loco, ut amicitiæ non sint futuri immemores. Ne inanes omnino hæ litteræ essent, eam tractarem quæstionem, an Hypotheses esse possint, quibus statuatur, *absque orbibus Planetas moveri.* Mihi aliquando in mentem veniebat, unicum esse ab octavo ad concavum Lunæ orbem, qui a primo motu deficeret, in quo Planetæ suos peculiares haberent orbes, quasi Epicyclos quosdam, quibus omnis apparens anomalia possit explicari: sed has imaginationes alia excusserunt. Et duntaxat adhuc arridet Aristotelis sententia, Planetas orbium certorum esse partes, a qua tamen nostra speculatio non abhorret. Sed tubis ad naves convocatur iamque Illustris Dom. Comes ingressus est, ventis afflantibus secundis. Faxit Deus, ut secundissimi sint. Bene & feliciter vale, & Craigum tui amantissimum esse existimato. Datæ 18. Iunii Edenburgi

Tuus

IOAN. CRAIGVS, *Medicus.*

POST

POST SCRIPTA.

Iam audio, plures adhuc ex amicis noſtris una proficiſci, & inter alios M. Guilielmum Fullerum; Iuvenis eſt egregius, nec tua amicitia indignus. Vide quam ego tibi notos quaſi accumulem; amici omnes mei ſunt, & tuarum excellentium virtutum erunt admiratores. Iterum vale.

Hæc quoque raptim.

IOAN. CRAIGVS, *D.*

III.

AD TYCHONEM BRAHE.

Nobiliſſ. & Clariſſ. Vir, amice colende. Non occurrit hoc tempore, quod ſcriptione dignum videtur, ſed cum detur occaſio, non prætermittendam puto. Et ne meræ omnino ſint litteræ, quamvis hoc fere nihili ſit inſtar, quod prioribus cœperam de cœleſtium hypotheſi ad te ſcribere, paucis repetam. In hypotheſi non alienum videtur, quod terra luminarium & Sol ceterorum Planetarum ſit centrum, ſed tamen abſurdum implicat, quod Mars æronythus terris propior fiat Sole: concinnior fortaſſe erit, ſi punctum terræ vicinius quam Sol ſtatuatur centrum: aut ſi id nolis, ut duplici Epicyclo augeatur orbis Planetæ ſuperioris, quemadmodum ſuam ad me ea de re cantationem ſcripſit M. Duncanus *Liddelius*; quæ quidem hypotheſis nihil abſurdi habebit: nam non ſolum hoc tuum vitabitur, ſed etiam orbes Plane-

Planetis adſcribi poterunt. Sunt & plures modi, quibus iſta ſupponi poſſunt & ipſe aliquando exponam, quid hac de re ſentiam plenius; omnino enim incumbendum ſtatuo, ut Phyſicis & Mathematicis pariter ſatis fiat. Audio, Clariſſ. Vir, te in Chymicis præclare verſatum eſſe, rogo te, ut mihi aliqua ex ſecretioribus & utilioribus communices. Habet *Rollandus* in ſuis Centuriis curarum, ut ſic loquar, aliquas mirabiles compoſitiones, ut aquæ benedictæ. Balſami ſulphuris, Spiritus vitæ Extracta Eſulæ, quæ ſi tibi nota ſunt, fac me earum participem. Habeo extractum Eſulæ communi modo per ſpiritum vini; ſed eſt alia quædam ſingularis ratio in iſtis extractionibus: ſic ſi tibi aliquid conſtat de deſtillatis aquis purgantibus, quæ iam apud aliquos in uſu ſunt. Fuit apud nos hiſce diebus Petrus *Payſen* Danus, vir in linguis egregie verſatus, & in pluribus diſciplinis bene inſtitutus, & in Mathematicis quoque bene doctus: Multas regiones peragravit, & multa vidit: ei trado litteras meas, ut ad tuam amicitiam ei aditus fiat: qua non dubito, quin dignus futurus ſit. Bene & feliciter vale. Datæ Edenburgi, 9. Iulii

Tuus

Salutem precor noſtratibus amicis.

IOAN. CRAIGVS, *Doctor.*

IOAN-

IOANNIS CASELII

ACAD. HELMSTADIENSIS PHILOLOGI

EPISTOLÆ

AD DIVERSOS,

INTERMIXTIS NONNVLLIS ALIO-
RVM AVCTORVM.

EPISTOLÆ IOANNIS CASELII AD DIVERSOS.

IV.

DVNCANO LIDDELIO.

Venit ad nos adolescens cum litteris & exemplis tui operis τοῦ βαπτιστοῦ: ea de voluntate tua distribuimus: grata, quibus misisti, prædicata etiam ab aliis: & sunt qui utantur meo, dum advehantur plura. Quantum enim ex ista nobili tua disciplina profecerint, recordati: eadem avide regustant, & hoc avidius, quod supremam manum a te impositam, & omnia ad amussim elaborata, iudicant. Neque non tamen & alia expectant ab ingenio & diligentia tua, quæ sunt in te, illud eximium, hæc perpetua. Ea & vitæ animique tui integritas, omnia supra viginti annos explorata, fecerunt te nobis carissimum, etsi adeo longinquum hominem. Intelligimus enim & agnoscimus & amamus virtutem & sapientiam in quovis mortalium, unde ille cunque sit: præterquam, quod hospites quosvis tolerabiles omni benevolentia prosequimur. Incommodos enim & contumeliosos, ut sane non paucos vidimus, amet per me qui velit.

Neque

Neque enim, uti ſcis, utilitatibus meis, aut ob mea commoda cuiquam ſtudeo, qui veritatis & publici boni cauſſa in me inimicitias ſuſcipio, & tantum non undecunque vapulo calumniis. Ita porro familiares diligimus, ut blanditias, noxia adulationum ſemina, oderimus, iocos & ſeramus & feramus, etiam ſalſiores. Nam qui vulnerant, eos Momi contubernio relinquimus. Ex hac conſuetudine non lubenter te dimiſimus: ego etiam te inſcio primum, & poſtea improbante, de te non nobis, ſed academiæ retinendo, mihi impenſius laborandum cenſui, quem dicerem ex longinquo etiam loco præmio huc accerſendum. Cetera noſti, quæ & ex animo ſcripſi & vera ſunt. Meam auctoritatem apud potentes nullam eſſe noveram, quem gratioſi quoque derideant: debebant valere rationes, niſi nullius ipſe iudicii cenſerer. Igitur te carebit noſtra iuventus, nos non carebimus, ubicunque gentium ſis: ego minus, qui non ero in hac vita diuturnus, & altero, poſtquam a te abii die μαρμένη dederam: quæ tamen mitigata adhuc me reſpicit: etſi hæc adhuc in lectulo ſcribo: unde prorepo adhuc rarius: hac tempeſtate non niſi ſemel atque iterum in hortulum ſuburbanum prodii: *Cragii* litteræ nullæ fuerunt allatæ, quas idem ille a tabellario, cui eas dederas, extorſit, ſed peſſime habitas reſignatas ſcilicet, & aliena manu alicubi fœdatas. Eas mitto, ut iubes, ſi forte nondum ſolveris, de

quo

quo dubitamus. Quod me mones & obtestaris, ut certorum hominum contumelias parvi faciam; hic mihi evenit, quod in corporis doloribus. Sensum enim, nisi fortissimus, vix quisquam dissimulet: vnde suspiramus, & in querelas erumpimus. Vtor secunda navigatione potius, ut ipsorum censuras fugiam cognoscere ipse fungens officio, quantum hac ætate possum, quod minimum esse intelligo. De oratione tua solus nihil statuam, neque voluntati iudicioque tuo nos reluctari æquum censeo. Vale, Helmstad. ex acad. Jul. 3. Kal. Quinctil.

V.

D. DVNCANI LIDDELII EPISTOLA, *ad quam superiori respondetur.*

Post discessum meum a te ceterisque amicissimis viris nil maiori dolore & solicitudine me unquam in vita affecit, quam quod vestra iucunda consuetudine & familiaritate mihi nunc carendum sit. Vt enim de ceteris nil dicam, quoties tua præterita in me merita, assiduam benevolentiam & studium eximiamque illam animi tui virtutem, candorem & eruditionem mecum considero, & in animum revoco, non possum me ipsum non stultitiæ & temeritatis alicuius incusare, atque animo gravissime affici, plus apud me valuisse improborum contumelias & conatus, quam suavissimam

illam tuam candidiſſimorumque amicorum conſuetudinem & familiaritatem, quæ mihi prope ipſa vita gratior fuit, ac a te disiungi potuiſſe, tantaque iniuria non vos ſolum, ſed me ipſum quoque refeciſſe. Sed cum ea, quæ facta nunc ſunt, infecta fieri nequeunt, a te præ ceteris omnibus oro, ut mihi ignoſcas, & hanc iniuriam condones. Deinde ne ob improborum hominum molitiones & conatus te ipſum vlla ſollicitudine excrucies, ſed pro priſtina virtute & conſtantia eos eorumque molitiones & calumnias contemnas. Disiungor quidem a te, cui plus prope, quam ipſis parentibus debeo, intercapedine aliqua locorum, ſed numquam animo. Nam beneficentia amorisque tui memoria mihi nunc in medullis hæret, ſemperque hærebit. Vtinam liceret, pro meritis re ipſa ullam grati animi ſignificationem tibi, tuisque declarare. Interim pro tua incolumitate aſſidue vota faciam, nullamque ad vos reſcribendi occaſionem prætermittam. Cum a vobis diſcederem, recta *Bremam* profectus fui, & Brema deinde *Hamburgum*, ubi ob diuturnam moram Helmſtadii oportuniſſimæ occaſiones navigandi in Britanniam mihi perierunt. Typographus *opus* meum *medicum* nunc abſolvit, cuius quinque exemplaria tibi mitto; unum Doctori Theodoro, alterum M. Diepholdio, tertium Facultati medicæ, cetera duo tibi reſervare poteris, aut alterum eorum Principi per occaſionem oportunam offerre, ſi tibi con-

consultum esse videatur: adiunxi etiam aliquot exemplaria epistolæ tuæ & carminum amicorum. De oratione mea valedictoria quid dicam nescio, & an digna sit, ut in lucem prodeat; si tibi ceterisque amicis ita videatur, poteris in pluribus emendare & in nonnullis etiam illustrare, ac M. *Frobenio* una cum programmate Prorectoris & carminibus M. Besten, Clampii & aliorum Hamburgum transmittere; pollicetur suam operam præ illis excudendis, aliisque eius generis. A te venerande Senex, officiosissime nunc peto, ut pristinum in me amorem & benevolentiam conservare, & per occasionem ad me scribere non graveris. Ego, quoad vivam, tui memoriam de animo non deponam, nunquam cessabo te *ut parentem* colere & observare, tuamque eximiam virtutem, eruditionem & integritatem agnoscere ac prædicare. Deus omnipotens te cum tuis omnibus diu salvum & incolumem conservet, & improborum hominum molitiones compescat & reprimat. Pessumo exilio pereunt perniciosi illi homines, qui tibi viro optimo doctissimoque male cupiunt, & honori, commodis, honestissimisque tuis conatibus insidiantur & resistunt, qui procul dubio divinam ultionem non effugient, & te aliosque bonos licet premant, nunquam tamen oppriment. Saluta ex me officiosissime Doct. *Theodorum* cum coniuge & fratre, & filium tuum *Carolum*, M. *Diepholdium*, ceterosque commensales ac præ-

terea ex ceteris Collegis Prorectorem aliosque communes amicos, ac Ludovicum Pharmacopæum. Vale venerande ſenex, amice perpetua obſervantia colende. Raptim Hamburgo, 15. Jul. 1607.

VI.

CASELIVS HEVNFELDIO.

Cum mihi ſororis tuæ filius, *Theodorus Surlandius*, a te ex litteris tuis ſalutem diceret, revocavit ſimul mihi in memoriam, te cum *Cranichfeldio* olim vixiſſe domi meæ. Amo igitur te, & de vetere conſuetudine, & ob memoriam veteris meæ in te benevolentiæ. Neque nihil etiam tua cauſa præſtiti Theodoro, ut non iniuria ipſi a te viciſſim aliquid beneficii petere videar: neque tamen hoc aliud eſt, quam quod ultro daturus videaris: permove vero etiam tuos auctoritate mea, ut tecum ſentiant, nec rectum putent de *erogato in litterarum ſtudia ære quidquam repoſcere*, *præſertim cum bene poſitos ſumtus*, *appareat.* Nec vero tantum honori vobis eſt Theodorus, ſed futurum brevi auguror, ut & ipſe de familia alios conſilio, alios re ipſa adiuvet. Vale, Helmſtad. ex acad. Iul. Nonis Iulii cIↃ IↃ c vII.

VII.

VII.

IVSTO ELIAE EVANDRO,

Consuli Arnstadiensi.

Pro epistola tibi plenissima erit Theodorus: tamen hanc quoque ipsi perbrevem dedi. Quod si vacaret mihi & liberet, scriberem de pluribus, non habeo tamen, quæ vobis quidquam lætitiæ adferant. Nam senectus per se ipsam laboriosa, nihil hilaritatis aliunde accipit, aut considerat. Hisce annis, in hisce ædibus, in hoc loco, in hac vicinia vitæ mihi sunt tabernacula fixisse ærumnæ. Nulla enim species abfuit mali, neque aliquid hodie apparet boni: nisi in hoc esse dices, quod mala se minus commovent, quæ in æternum consopita velim. Verum audi iuvenem nostrum: eum ego non dimisi in *Poloniam*, cum repente illic omnia turbata comperiremus: habita comitia aliquoties: sint ne pacis sive concordiæ rationes inventæ, de eo neque dum quidquam audivimus. Hic armis sepositis, pro hastis calamos sumsimus: ab his utinam nunquam abitum fuisset. Vale, Helmst. ex acad. Iul. Non. Iul. 1607.

VIII.

TOBIAE PAVRMEISTERO,

a Kochstet, Cancell. D. Br. Lün.

Quædam in mandatis dedi heri istuc eunti domestico meo, cum mihi scribere non vacaret;

caret; adfuerit iam tibi, nisi domo absis: nihil ipse ignorabat de rationibus meis. Obstitere hactenus multa, quod præla occupata; quod minus firmiter valeo; quod ad alia interdum abripior vel abducor a familiaribus; quod & per ætatem ipse sum lentior. Etsi vero nunc properamus, tamen procedimus: & ipse, quæ eodem facere ad te scripseram, adieci e Synesio, cuius cum sententiam non adeo multis verbis comprehendissem, cœpi aliam nobilem epistolam omnem interpretari, in qua sunt & alia: item erudita & hanc disputationem admodum illustrantia. Quia vero unius alteriusve nostræ ætatis πολιτικῶν exempla subiiciam: quis vita iam functus, suis laudibus afficiam, aliquot pagellis crescet opusculum: pluribus autem, si in eandem sententiam olim scripta adiiciam, ut me monent familiares: sic enim facilius evincam tradita semper a me consentanea; quod faciunt, quibus veræ sententiæ cordi sunt; qui opinionibus hærent, sibi sæpe contradicant necesse est. Ea est enim veritatis vis in omni genere, ut interdum promicans mendaciis fenestras obstruat. Vtrumque faciam, nisi tibi secus videatur. Vale, Helmstad. ex acad. Iul. VII. Id. Quinctil. cIↄ Iↄc VII.

IX.

IX.

THEODORO HVPAEO.

De iis, quæ mihi legenda miseras & legeram, pro ætate valens, tecum per gravitatem morbi verbum commutare non poteram: dixi me ad te potius scripturum, quod liberius inter nos agimus. Non levis est popularium nostrorum error, quo fortunatiores facilius infici deprehendi, quod *plærique alibi quærimus, quæ domi non habemus deteriora*, quam ubi sunt optima. Non autem ea semper, quæ maiore sumptu, vel etiam maximo parantur, meliora sunt. Accedit, quod antequam vires sumserint corpora domi, adolescentes peregrino aëri credere, & diversis alimentis enutrire, non vacet periculo: denique animis & moribus nondum confirmatis. Accipiuntur multa sine discrimine & frequentius, quæ declinanda potius forent. Verum tu hæc ipse non minus intelligis, etsi opus esse & ex usu censeas, uberius ipse explices & disertius: neque ignores, ad quod & quo tempore. Hæc autem facile locum inveniant, nisi homines imperiti temere quidvis potius afferant, & pertinaciter tueantur, quam cognoscere, quid in quoque veri sit, malint. Præter hoc autem sive bonas rationes, nihil veri esse potest. Sed potissimum de exercitiis agi suspicor: video adolescentem boni esse ingenii, boni iudicii magistrum scio.

 Ille

Ille ut non videri velit profecisse, sed proficiat, in intelligendis scriptoribus plurimum & paulo post in legendis multo plus operæ ponet. In hoc erant præcipuæ & quidem domesticæ partes *Gudeni*. De publica autem disciplina, præsertim sæculo iam clara, mihique non penitus cognita censere meum non est. De multis, quid sentiam, sive quid sentiendum, neque tu ignoras, emensus illas vias omnes in hanc usque ætatem. Sim tamen quoque nunc verbosior, ne quid in me studii desideres; nisi iam relegam, quæ super hac re ab annis tribus, non forte perfecte, sed cum diligentia scripsi: quæ iam sed lentius aliquanto, quibus præla occupantur, aliis voluminibus typis exprimuntur. Vale, Helmstad. ex acad. Iul. VI. Id. Quinctil. cIↃ IↃc VII.

X.

Ex EPISTOLA REMI, *reddita Caselio 9. Iulii, data 6. Kal. Iul.* 1607.

Pace autem inter Venetos & Pontificem facta, iam tutus est & liberrimus accessus ad academias Italicas. Gallia altum quiescit, festique perfruitur pace. Tranquillatæ itidem sunt turbæ Transsylvanicæ, & quies Panoniis reddita, beneficio Dei opt. max. qui nobis hoc bonum solidum esse velit.

XI.

XI.

IOACHIMO MYLIO.

De nato tibi filio gavisus sum & multis verbis gratulor, quando ipse te, ut quisquam omnium, ad nuptias impuli, quibus potui rationibus. Lente satis te commovimus. Est autem quod gaudeas: quia sentis gratissimos coniugii fructus. Etsi enim multa in ea vita & in educatione liberorum dura sunt, tamen affectu, quo erga nostros naturali sumus, dulcescunt omnia. Interea percurrimus huius vitæ spacium, & omnino æquiore animo decedimus, si sit, quem nostro loco veluti in statione relinquimus. Ignosce brevitati: de qua vel ætas, vel vis morbi, e quo nonnihil emergere videor, me facile purget. Quid autem alias ærumnas referam, quæ senibus præsto sunt, fidelius & firmius quam ulli regum satellites. Itaque *beatiores sæpe credidi, qui media ætate abeunt*, & quasi maturius ex huius vitæ convivio. Quid Creissius de suis rebus consilii porro ceperit, avemus cognoscere: eius filius recte eruditur in ludo Goslariensi, atque illic omnino recte eruditur prima ætas. Vale, Helmstad. ex acad. Iul. VI. Id. Quinctil. clɔ Iɔc VII.

XII.

RATZENBERGIO.

Exposuit mihi generi mei frater, de tua in me, nec mihi ante incognita, benevolentia:

tia: de altera, qua te esse erga ipsum re ostendisti, magis gavisus sum. In tanto enim amicorum proventu (quis enim se hodie non profitetur in amicissimis?) ad nocendum plerosque paratos videas vix aliquem, qui consilio adiuvet, aut uno verbo, ubi opus sit. Sibi esse bene quique volunt: aliis gratiam invident, quam alii aliis artibus sibi pariunt: denique optimum quemque esurire non dolent, modo ipsi & omnia habeant, & passim constituant suos. Quæ molitiones adversus generum meum anno abhinc instructæ fuerint, si audias, mireris: etsi eiusmodi multa alia videris. Infensi autem sunt multi meo nomini: quamobrem? quod, qui in me irruerat omni impetu, me non subvertit funditus, quem tamen impulsores, tum in ipso discrimine, ad unum omnes deserebant. *Odii* autem *causa est*, quod noceo nemini, prosum, quibus queo: *nec pati possum*, ut *iuventus abripiatur in castra inscitiæ:* hoc sedulo qui mecum agunt, pro factiosis habentur ab iis, qui coniurationem pridem fecerunt in nihil male meritos, & quotidie bene de academia merentes. Illi freti præsidiis, quod in ipsis est, uti nos premunt, sic ad rem litterariam nihil quicquam conferunt: quin nugas agere forte dixerint, qui hoc agat serio. Et illo exemplo & recentiore hoc tibi facile confirmem: ipsi principi notus ab annis amplius triginta, neminem habeo, per quem epistolam a me legat. Quo maiores tibi gratias

ago,

ago, qui D. Andream non neglexeris. Primæ enim virtutis eſt & ſingularis humanitatis, bonos complecti & tueri, etiamſi ab his præter animum gratum nihil habeas tibi polliceri. Vera enim beneficentia, ut neque ulla virtus, pretio non eruitur, etiam apud aliquos proſtat adulationibus. *Ille autem, uti civis non erat negligendus, etſi quidam exteri in civium peſtem irrupere*; in altero etiam negotio ſi probe conſideretur, neceſſitate impulſum, fraude circumſcriptum ſtatim videat intelligens. In hoc male illi nemo, in priore omnes bene velle debeant. Hæc ſcripſi apertius ad virum officii plenum & integerrimum. Officii autem & integritatis tanta eſt coniunctio, ut ubi ſit alterum, deſiderari alterum non queat. Vale, Helmſt. ex acad. Iul. V. Idib. Quinctil. cIↃ IↃc VII.

Obteſtor te, ut porro in utroque negotio D. Andreæ præſto ſis. Obtinebis ipſi in uno quod ſcio neceſſarium, in altero, quod æquum erit. Hoc autem mihi a iuſto diſcrepare, docet nos priſcorum ſapientia.

XIII.

GEORGIO REMO.

Diu iſtinc nihil acceperam, quo lubentius legi tuas, ut quodcunque eſſet, cognoſcerem. Vno fere ambitu expoſuiſti grata pleraque:

que: metum belli in Italia ſublatum: altam pacem eſſe in Gallia: omnia pacata in Pannonia. Quæſo ecquid habes de *Bocatio?* Non enim nihil cognoveris: altero anno in vincula Northemiæ fuerat coniectus: abductus ab aliquot menſibus Pragam: ibi in quæſtione excarnificatus: illa habeo e vicinia, hoc ad me e Sileſia perſcriptum fuit. Quarum litterarum memineram, in redditæ iam ſint, reddentur brevi; & alteræ de Cellario, quas cum theſibus legas. Cannius, de quo quæris, cum procerum Sarmaticorum filiis Würtzburgi vivit, & una cum iisdem alter Livo Theodorus Fauſtachius. Grata fuere, quæ ex adoleſcente plura, & aliqua ex tuis litteris cognovi, præter vnum nuncium. Neque ſcripſit Rittershuſius, qui cum funus vxori pararet: in quo conſolando officium feceritis: ego quid ſcribam? qui vix dum hodie ſpiro. Namque in gravem morbum incidi I. Kal. Ian. ut & ipſe fato manus darem: infeſtabat ille me, & latebat: febris deprehenſa placata: emergo tamen, uti ranæ e limo, quæ in paludibus hærent: nihilominus hactenus in lectulo meditor, lego, ſcribo, uti & hæc; Filius meus, Cornelius, Ovenus te colunt & ſalutant. Cornelius & ipſe incommode habet: Iverus de filio ſollicitus eſt: de quo utinam aliquid cognoſcas per Caſaubonum. Libanii orationes nondum vidimus: an ad nos perlatæ pridem ſunt. Vale, V. Id. Quinctil. CIↃ IↃC VII.

XIV.

XIV.

CONRADO RITTERSHVSIO.

Ex inſcriptione προγράμματος vidimus luctum tuum: quod ſcribam, nihil habeo, quod te fugiat: ſilentio tamen dolorem tuum maximum præterire per humanitatem non licet. Quod ſi ſatis medicinæ penes te non habeas, non tamen deerunt iſtic, qui tibi condoleant, niſi ferant maiores ſuppetias. Namque & hic elevatur nonnihil animi onus. Remus & ipſe accurrerit, videris & his diebus, quæ Scaliger ſcripſerat ad Ranzovium. Elicuiſti enim, quod volueras editione quorundam, & eadem emendatiora, & nonnulla alia. Collige te & cum amicis vive. Convivio vivimus nempe συμβιώσει. In tuorum convictu ſaluto *Dinnerum*, quem ut politisſimum virum prædicat Remus. Namque *legum ſcientia magnum, alterum & maius & rarius.* Vale, Helmſt. ex acad. Iul. V. Id. Quinctil. 1607.

XV.

IOSEPHO SCALIGERO.

Miſit ad me *Voverius* Hamburgo ſimul binas tuas litteras: recentiores erant longiores: breviores alteræ, quas pridem ſcriptas e chartis erueras. Fuerunt hæ mihi iucundæ, teſtes tuæ in me ſingularis benevolentiæ: gratiores

tiores noviſſimæ, quod nos de multis docebant. Hoc enim tibi faciendum putaſti, cum ſcripſiſſem, me & ab aliis amicis, & a *Caſaubono* certiorem factum de novo genere hominum petulanter graſſante in optimi optimeque meriti cuiusque exiſtimationem, in quibus ulciſcendis laceſſiti etiam modum ſervant, niſi forte ut vecordes allatrantes canes ſilentio prætereundos cenſuerint, partæ perpetuis laboribus & magnis meritis non auctoritatis ſolum, ſed etiam dignitatis ratione habita. Nec iniuria me leniter reprehendis, qui metuerem, ne talium contumeliis conturbarere: quas recte in animum tuum non admittis, & earum auctores non flocci faciendos iudicas. Noveris ipſe, quæ quomodo refutanda ſint, etſi non ſolum illæ calumniæ in bonorum animis non hærent, ſed boni ipſi, & tales homines deteſtantur, & honorem veſtrum ſedulo vindicant. Quam vellem autem, quæ *Muretus de Scaligerorum gente* conſignavit, aut publice exſtarent, aut aliunde repoſci poſſent. *Iulii Cæſaris* ſcio fuiſſe obſervantiſſimum, & eam erga optime meritum obſervantiam teſtatum publicæ. Narravi familiaribus, ut idem te Romæ iuvenem acceperit, & redeuntem ad tuos ultra Senas, in Sancaſſianum deduxerit. Ipſemet enim id mihi in via ad oppidum obviam eo die factus, narravit. Noverat enim me, a me aliquoties in urbe ſalutatus. P. enim *Victorius* in fundos ſuos nos una ruſticatum edu-

eduxerat: ac lubenter in eos montes concesseramus, valetudinis & animi gratia, & pro loco & tempore habebamus in manibus & sermonibus, cum alia, tum multa de re rustica. Hoc obiter inieci, ut te iuvenem a Germanis illic tum visum cognosceres, quando iam quibusdam monumentis inclarueras. Interea consenuimus, tua merita immortalia exstant in rempublicam, quibus etiam omnes bonos & doctos viros arctissime tibi devinxisti. Hanc quoque mihi veniam dabis, quod rescribo multo lentius: non fuit interea, cui darem, certus aliquis. Oblatæ enim occasioni dubiæ credere nihil volui, falsus aliquoties: hic iuvenis se istuc recta proficisci ait: neque nihil de me quærentem doceat. Vale, Helmst. ex acad. Iul. id. Quinctil. cIↃ IↃc VII.

XVI.

DANIELI HEINSIO.

Fecit hoc *Pflugius* noster, cum a nobis istuc venisset, ut me amanter & honorifice cultis admodum versibus compellares. Rescripsi qua commoditate me recte tum uti putabam. Nolim enim in morositatis aut inhumanitatis suspicionem apud quenquam venire: nedum apud eum, qui singulari observantia me prosequeretur. Fieri potest, ut illæ litteræ sicut & aliæ, quas postea dedi, perierint. Tertium scribo:

ſcribo per certiorem hominem, qui ſe Lugdunum Batavorum recta proficiſci diceret. Me autem a te *eruditæ iuventutis principe* coli gaudeo, & hac de cauſſa te contra, uti debeo, diligo. Multa vero etiam magis, quod ingenii pereruditis monumentis rem litterariam ornas: cuiusmodi cum & alia meditaris & conſcribis, non dubito, quin ſimul te profundius demergas in ſtudia ſapientiæ. Rei natura hoc aliter non fert, *niſi ut qua in re quis præſtet, in ea ſe ipſo ipſe fiat præſtantior.* Tu vero præterea iſtic ducem habes ad ſumma *Ioſephum Scaligerum*, cui te familiarem eſſe video, & tibi gratulor. Amamus etiam te, quod Scaligeri *Iambos gnomicos* edidiſti emendatiores, quam videramus ante, & adieciſti eiusmodi plures alios. Bea porro iuventutem litterariam eiusmodi muneribus: ego ea ipſe familiaribus quotidie diligenter commendo, quo magis opto & laboro, ut ætate florentes virtute ſimul & multiplici doctrina animos excolant. Deteſtor autem toto animo, quotquot ſe ad calumnias convertunt, & maledicentiam, aut alias artes non bonas & conſuetudini mortalium noxias. Sed redeo ad principium ſive argumentum epiſtolæ: me a te coli gaudeo, te a me amari, certo velim tibi perſuadeas. Magnum utrique propoſitum eſt præmium. Quid autem maius pulcerrimo? Quid autem pulcrius adeo ſincera animorum coniunctione? Vale, Helmſtad. ex acad. Iul. III. Id. Quinctil. cIɔ Iɔc VII.

XVII.

XVII.

GILBERTO IACHAEO.

Si vivat apud nos *Duncanus*, iubeam ipſum ad te ſcribere, cum populari ſcribenti ad ſcribendum cauſæ nihil habere, tibi quoque videri queam. Nunc ab illo mihi naſcitur argumentum; quem abiiſſe ſive iam audieris, ſive modo cognoſces, miraberis. Etenim habuit hic, uti ſcis, familiares amicisſimos, & exploratæ fidei ab annis pluribus: fuit præterea carus iuventuti, qui philoſophiæ vel arti medicæ ſe dederint. Huius enim dignitatem (neque tu hoc ignoras) aliquot iam annos primo loco ſuſtinuit, docendo, diſputando, ſcribendo: nec id Collegæ negant, qui paſſim medicinam facerent. *Parcovius* autem ſæpius abeſſet in aula. Cum bis in Britanniam his annis traieciſſet, nobis inconſultis dimitti ſe petivit. Neque enim ſuaſiſſem, non ut amico officerem, ſed ob academiæ bonum. Hac enim de cauſa, re cognita, ipſo inſcio, laboravi, ut teneretur: compellavi, quos potui, ſcripſi ad quos debui: eſſe Mathematicum nusquam præſtantiorem, neque quemquam eruditiorem in omnibus philoſophiæ partibus: tacui, quantus eſſet in hiſtoria: in medicina tradenda eſſe dexteriorem neminem, inſtructum videlicet vera methodo, certis principiis, & in eadem facienda multos iam annos verſatum. Quæ

ſcripſi, aut lecta non fuerunt, aut non conſiderata: certe neglecta. Teneri enim, ut mea fert opinio, poterat, amota cauſa, quæ hominem in hoc conſilium impulerat, quem e longinqua regione, qui recte iudicet de diſciplinis, & boni publici primam rationem habeat, accerſendum dicat. Sed factum fuit, ut opinor, per opinionem quandam plebeiam, quæ etiam in regiis valet, ut meum conſilium minus valuerit. Aiunt enim Principes quo velint in quocunque genere potiri poſſe, quod ſapiens aut vitæ peritus, nemo dixerit. Suſpiceris potiſſimum profectum ab invidia, quod non negem. Tanta enim huiusmodi vis eſt, ut cum virtuti privatorum noceat, publicum etiam bonum in quocunque genere labefactet. Quæres: quid hic fiat? dies docebit, præſertim cum non ſit, qui Duncano cum dignitate pari ſuccedat: cui locus deſtinetur, iuvenietur facile. Erat ille Scotus, cuius omni primaria eruditione ſimilem neque habet academia Julia, neque habuit: quo animo meo ægrius fero tanti viri abitum. Te iſtic iuventuti prodeſſe, & in pretio eſſe libenter audimus, alumnum academiæ noſtræ illius popularem & amantem magiſtri. Vale, Helmſtadii ex acad. Iul. IV. Id. Quinctil. cIↄ Iↄc VII.

XVIII.

XVIII.

MAVRITIO CANNEN, *Livoni.*

Cum Remus de te in litteris quæreret, cui modo responderem, neque hanc ad te scribendi commoditatem neglexi, nec habebam tamen, quod te scire vellem. Nam ex Polonia prorsus nihil allatum est multis iam mensibus: nisi *legatos Brandenburgicos spoliatos & cæsos a prædonibus*, & hoc alii aliter narrant: quia amici non scribunt, tumultus neque dum sedatos coniicimus. Ad nostras rescripsi per aurigam, quem præteriisse suspicabar, cum ad lectum non rediret. Dedi fasciculum: litteras in lectulo scripseram, uti & hæc scribo, non tamen nihil firmior: etsi quid firmum in hac ætate & in his curis, & inter tot calumnias dixeris? Ab his me de more meo ad labores refero, meditans quotidie, & perscribens, modo quod videtur, modo epistolam. Quam modo mitto, per me lucubratiunculam nomines. An recordaris, habuisse me in manibus πολιτευσόμενον, cum perscripsi, operis dedi; opus etsi non magnum lente procedit, occupatis prælis magno quodam volumine. Salutem dicas velim nostro Farensbachio, etsi qui sint in illustri vestro contubernio φιλοχαστήλιοι, ut ominor etiam præter meritum meum, uti hic sunt item præter meritum meum μισοχαστήλιοι, qui suorum commodarum rationem nul-

lam negligunt. Agitur enim eadem comœdia, quæ fere ab eo, quo primum adveni, die agi coepta fuit. Νεοτεροζόντες cum rationibus nihil obtinerent, ad alias artes, sed frustra se contulerant; veritati nihil derogant, huius magistris nocent, quantum queunt, & inveniam patronos in populo & inter eos, qui in populo censeri nolint, facileque sive auctoritatem propter potentiam sive potentiam propter auctoritatem tuentur. Namque utrumque fieri video. Sunt enim, qui, quia algenere & opibus potentes sunt, auctoritatem obtinent: alii auctoritatem quibuscunque artibus sive opinionibus adepti, potentiam & adipiscuntur & usurpant, & hi sunt manuriorum nuper ad dominatum evectorum simillimi. Nisi me neptis ad coenam vocet, neque hic finem faciam. Vale, V. Id. Quinctil. clↄ Iↄc VII.

XIX.

GEORGIO RHESO.

Vti coepisti, ita velim porro facias: scribe sæpius, nec meum silentium te quidquam moretur: semper erit, quod me scire velis: saltem prôme aliquid de iis, quæ in manibus habes, aut expone alumni tui studia: iube, ut & ipse scribat, etiam alter. Intelligam non solum, quid agatis, sed qua prudentia illi a te ducantur. Neque enim facies, quod plerique

que tantum faciunt, ut modo doceas, modo imperes: utroque opus eſt: ſed illo cum perpetua diligentia, hoc cum ratione. Niſi exemplum præterea addas, parum profeceris. Fac, ut modeſtum te videant in omnibus, & perpetuum in litteris. Ipſis primum profueris: plus etiam tibi. Cum enim generoſus ille vir diligentiam & virtutem tuam intelliget, (de doctrina pridem nihil dubitat) & te diliget ſecundum filium, & de te ornando, monitus atque etiam non monitus cogitabit. Faber & aliorum ſalutis, & tuæ fortunæ fueris: quod tibi tuisque æqualibus decantare ſoleo ſæpius: qui hæc non accipiunt, hos fortunæ ſive ventis relinquamus. Vale. Helmſt. ex acad. Iul. prid. id. Quinctil. clↄ Iↄc VII.

XX.

IOANNI BECHMANNO.

Recte auguraris de vino Hiſpanico, quod non niſi guſtans neque magis probavi atque tu ipſe. O ἀϊσκλήπιος abiit: ego neque academiæ, neque aulæ perſuadere potui, hoc non eſſe ex re academiæ. Nemo & hoſpiti & Scoto, & homini doctisſimo fuere, qui minus vellent: & habent ἀξίωμα reges, *dictum factum*, invenire in omni genere præſtantes viros, modo velint: quorum in omni etiam genere penuria eſt. Hoc qui perſuadent princi-

 pibus,

pibus, præstantissima quæque faciunt vilia, & præmia non solum minuunt præstantissimis viris, sed iisdem ipsi præripiunt, & tribuunt sui similibus, sive dicas potius fastuosæ inscitiæ. Hinc si vacet, digrediar ad illam querelam do corrupta ratione educationis primæ ætatis in litteris. Qui in hoc negotio σύμψηφοι sumus, neque in aliis forte dissentimus, quantumvis arduis, quantum ad veritatem collineamus. Veritatem autem qui sibi propositam habent, & iudicio assequuntur, neque aberrare ipsi possunt iudicio a iustitia. Sed & deliberandi potestas, & ipsa iurisdictio penes alios est. Deliberatur sæpius turbatis animis ius dicitur, non semper ab integris. Sed hec videamus, si sententias iam sententiis conferamus. Etsi neque sic proficiamus, tamen non nihil est dextre iudicare de magnis iisque ex omni parte bene exploratis rebus. Namque & affectus & arte quæsitæ fraudes veritati nebulas offundunt, & iustitiam exigunt, & coetibus mortalium, & una pacem, & quidquid est præterea bonorum. Vtinam nobis & minutis hisce commodis, & pace, & iustitia & veritate liceat perfrui. Vale, Helmst. ex acad. Iul. cIↃ IↃC VII.

XXI.

XXI.

CHRISTIANO DIESTELMEIER.

Ita inveterata & plurium annorum ſtudiis confirmata eſt inter nos benevolentia, ut neutri ſuſpicio oriri poſſit dubitandi de alterius animo, ut incidat interdum litterarum intermiſſio. Nam neque hic ſæpe ſunt, quibus demus: argumenta autem ad ſcribendum naſcuntur in dies, pauca boni ſeminis; immo ſemper eſt ærumnarum ſeges uberrima. Tu eo tendis, ubi ego ſum: ſed ipſe fere ſæculo te maior. Tu emerſus e morbo, officium facis; ego hoc menſe quaſi ex inferis redivivus, hæc in lectulo ſcriptito. Manus fato cum aliqua æquitate animi dederam, cum magna violentia in me morbus irrueret, nec ſe aperiret: tertianam demum agnitam ratione nonnihil mitigavimus. Nunc de familiaribus rebus non querar & tantum non perpetuis, quo te cunque verteris. Etenim paſſim inimicitiis, odiis certatur & diris litibus, imperiis & diris & maledictis. Neque enim hoc loco fieri dixerim, quod nuſpiam negligitur: nec pango etiam bonos verſus de rebus non bonis. Hoſpitem porro ipſum inexpectatum, ſed gravem profecto, ex quo cum alia tum de te & de *Belino* cognoverimus. Hic autem εὐφυὴς εὐμαθής. καὶ φιλόπονος ἐξαρχῆς ὤν, gaza ſapientiæ onuſtus domum reverterit, genti fu-

turus ornamento, & magno usui patriæ. Non minus tamen *Pfulii* ratio fuit habenda; in quo agnosco vestram benignitatem & prudentiam, Quod per me fieri voluisti, dictum factum præstitum curavimus, neque quidquam prætermissum. Filius cum ex Italia ad nos reversus, cum ad litteras respiceret, his tumultibus, quibus parum abfuit, quin denuo perierimus, a proposito retractus, neque sibi dum satisfacit; quem tui observantissimum non ignoras: neque mirum, a quo se diligi gaudet in perpetuum amoris desiderium. Vale, Helmst. ex acad. Iul. VII. Kal. Quinctil. Anno 1607.

XXII.

IOANNI CORFINIO.

D. *Schachtium* familiæ vestræ amicum decessisse, ante paucos dies familiaris exposuit. D. *Clengii* programma hodie primum vidi, legam in prandio. Audi de me: statim a Kal. Ianuarii decubui cum periculo, iamque adeo ipse receptui canebam: emersi iterum, quasi ex orco. Qui quotidie eram in ambulationibus, e lectulo ante meridiem non prorepo; ægre denique me colligo: ac forte satius sit migrare, quam perpetuis ærumnis torqueri. Meæ autem sunt multiplices: & publicæ in nos redundant. Ante annum barbarum & nefarium senatus consultum fecerunt *Brunsuig.* de fundi-

tus

tus delendo *Helmstadio*, tribus domibus exceptis. Hoc ita esse animo dubito, & quibus refero verbis ad me scripsit vir primarius, cum hoc cognovisset ex uno, cui hoc negotium mandatum fuerat. Illi caussidicorum articulos ediderunt: hic eduntur tria volumina historica fide: primum publicatum iam est. Hæc fama est, socias urbes conscribere militem: quod ad novos motus tendit. Numquam peccare creditur ille populus: neque civitates, ἀλλοτριεπισκοπῶσας. Duodeviginti annos hic sunt, & certo scio, nihil ab initio ab illo populo flagitatum præter ius & æquum: affirmo hoc, advenienti affirmatum ab integerrimo Borcholdo, cui erant omnia notissima. Vale, Helmst. ex acad. Iul. pridie divi Iacobi. cIc Iↄc VII.

XXIII.

RABANO CHRISTIANIO.

Huic Hallensi γραμματοφόρῳ hac transeunti dedi epistolam ad consulem Rostochiensem Corfinium: & vos salutandos censui. De valetudine mea etiam vos docuerit Lucius. Hunc velim recte erudiri in litteris & ad officium. Hic, militem conscribi a sociis civitatibus, constans fama est. Quid agant: utinam οἰκειοπραγῶσιν. Audi de vicino populo: sic ad me scribit amicus primarius. Barbarum &

nefarium SCtum fuiſſe ante annum Brunſuig. *de funditus perdendo Helmſtadio*, ſaltem tribus domibus ſalveguardiatis. Trium voluminum principis primum eſt editum: nihil ibi dicitur, quin evidenter probetur. Vale, Helmſt. ex acad. Iul. prid. divi Iacobi cIɔ Iɔc VII.

XXIV.

EX EPISTOLA ARNISÆI SCRIPTA IN GALLIA LVGDVNO KAL. MAII.

*** Novi nihil habemus admodum, niſi quod pax inter Venetos & Papam concluſa eſt, & tamen Comes Fuentanus militem conſcriptum retinet incertum, quorſum ducendum, nec parvæ ſunt Hiſpani copiæ in libera Burgundia, & Ducis Sabaudi in Pedemontio, quæ augentur de die in diem: ita ut iam quadraginta millia militum ſuperent. Rex Galliæ, vel recens occupatis in Sabaudia regionibus ſuis, vel confœderatis timens, proclamavit *bannum* in vicinis Burgundiæ & Sabaudiæ terris, ſimulque magnum ſtipendiariorum numerum eo deſtinavit. quorum ſex millia iam Genevam appulerunt, reliqui ſecuturi ſunt primo quoque tempore. Et abſque rege eſſet, non dubium eſt, quin Bernenſes & Genevenſes magnum malum timere habeant, quibus propter religionem Hiſpani & Sabaudi maxime

infeſti

infesti sunt, his etiam, quod episcopum eiecerunt, & ditioni Sabaudi se subtraxerunt. Cum adhuc Genevæ essemus, Burgundus quidam suspensus est, qui urbem speculatum venerat, & Sabaudus amissione Papæ constituit generale *Iubilæum*, quale Romæ Pontifex ipse celebrare solet. *Sunonii*, quod est parvum oppidulum, ad lacum Lemanum, medio inter Bernenses & Genevenses loco, non in alium, ut suspicantur omnes, finem, quam ut sub hoc pretextu quasi indulgentius, illic potituros milites congregare sine suspicione possit. Cum & primogenitum suum nuper ex Hispania reversum, gubernatorem Sabaudiæ constituturus dicitur eodem in loco. Sic enim & nobiles illuc convocare potest, quasi fidelitatis iuramentum filio renovaturos. Nemo tamen est in vicinia illa, qui machinas istas non præviderit, ideoque undique clamatur ad arma, undique colligitur miles: præparantur bombardæ, & nihil non rex promittit illis, qui propter religionem sibi timent, imprimis cum iterum Franciscanus quidam ipsi sceleftas manus inferre aggressus sit, qui tamen, cum ictu aberravit, captivus Fontenablium abductus est, ubi nunc torturæ subiicitur. Et hoc ipsum quoque eo tempore effectum dari debuerat, quo Helvetios aliosque vicinos principes Sabaudus ope Hispani aggredi decreverat. Non enim hi aliud fortius auxilium habent rege Galliarum, nec quod conatui Hispani magis obsi-

obſiſtit. Frater *Steinbergiorum*, qui in Italia iam degit, eundem, ſcripſit, metum tenere principes minores Italiæ, ne ſi improviſos Hiſpanus ſibi ſubiiciat, ideoque cenſuiſſe milites, & ſibi proſpexiſſe de omnibus, quæ ad belli primum impetum requiri ſolent. Interim Regi ſecundus natus eſt filius, cui ducatum Aurelianenſem deſtinavit, & cetera in Galliis pacata ſunt. Exercitum Regis gubernant Dux Bullionenſis & Ledhigerius, qui ambo ſunt religionis reformatæ. Inveni hic puellam quandam Hiſpanam ordini Franciſcanorum dicatam, quæ non niſi quatuordecim annorum ſe eſſe profitetur, aut paulo provectioris ætatis mihi videtur. Quæ iam quod dicere aggreſſus ſum, in philoſophiæ ſtudiis ita verſata eſt, ut theſes conſcribat & de iis in ſuo muſeo diſputet, non quidem nimium docte, doctius tamen, quam in iſtum ſexum aut ætatem cadere poſſit. Linguas vero Hebræam, Græcam, Latinam, & præter has Hiſpanicam, Italicam, Gallicam exactiſſime & loquitur & ſcribit. Iam etiam animum ad Ius Canonicum appulit, in quo gradum Doctoris affectat. Pater eius, neſcio ob quod maleficium, Hiſpania profugit & Lugduni rerum ſuarum ſtabilimentum fecit &c.

XXV.

XXV.

HENRICO IVLIO, DVCI BR. LVNEB.

Turbatis rebus rariores ad te dedi, nec nisi necessaria mihi caussa ad scribendum videretur: & quidem cum anno abhinc consilia adversus generum meum capta animadvertissem, scripsi non solum pro paterno erga meos affectu, sed pro veritate & bono academiæ. Etsi me fugit, sintne redditæ annon, tamen sive iussu meo sive consiliariorum prudentia, ei negotio finis impositus est, ut querela sublata sit. Scripsi iterum vere proximo diligentissime, & ad te & ad consiliarios, de retinendo in academia *Duncano:* sed meæ rationes locum non invenerunt, ut ego æquum putabam, & publice expedire non dubitabam. Misit autem ad me librum, quem ad te mitterem, & cum litteris mitto: ex quo videre est, quantus ille vir sit, & quanto usui atque ornamento academiæ Iuliæ fuerit. Hoc etiam ipsius ingenii monumento academiam Iuliam in æternum decorat. Qui eum discedere æquo animo tulerunt, opto, ut eius saltem in arte medica similem dispexerint. Nam quem in mathematicis simul & omni philosophia cum ipso comparemus, non invenietur. Nec enim tantus proventus est doctissimorum hominum, in quibus simul virtus & integritas. Habes autem in tot amplissimis populis tuis, qui non minus adspi-

adſpirant ad præſtantiam, quos ego in pretio habendos præ aliis, omnes bonos mecum ſentire arbitror. Te eiusdem eſſe ſententiæ, cuius ſemper fuit beneficentiſſimus Pater tuus IVLIVS; non dubito etiam probi hoſpites idem ſentiunt. In hoc genere ſunt *Henningus Arniſæus*, & alumnus etiam tuus *Andreas Adamius*: illum pridem cognitum non eſt, quod quis tibi laudet: & hunc commendat cum reliqua medicina, tum χειρουργική. Exſpectat Adamius tamen a munificentia tua neceſſarii aliquid commodi: in quo facilitas tua ſollicitari multis ſe non patitur: in altero negotio infelix æquitatem petit, quam iuſtiſſimus Princeps nemini negat. Neque fugit te, *in iuſtitia eximium quiddam eſſe*, quæ molliore nomine dicitur æquitas, cum tamen illud ipſum præclarius procuret. Quod me quoque monere, ſive rogare ea benignitate accipies: ipſa pleraque olim a me profecta. Quæ autem tum & expectata erant & grata, hac ætate ſat habeo, ſi nec repudientur, nec prorſus ingrata ſint: quod mihi quoque polliceor, cum non ſint inferiora illis prioribus. Vale; Helmſt. ex acad. Iul. VII. Kal. Sept. cIↃ IↃc VII.

XXVI.

THEODORO HVPÆO.

A diſcipula mea, filiola tua, ordiar: præſto mihi eſt ad lectulum quotidie: cum diſcat au-

autem, habetur a me neptis indulgentius: deque ea bene ominor, non tamen illa, quæ de *puella Hispanica* Arnisæus *) scribit, mira, inaudita, neque nos eam felicitatem filiabus velimus, sive optemus: *mulierem a conditione muliebri non longius abire expedit: neque philosophæ sint, ut neque poëtriæ neque psaltriæ, neque citharistriæ.* Ad epistolam tuam venio. Nos recte consulere adolescentiæ: satis certe scio: secus qui consulunt, aut negotium non intelligunt, aut nescio quamobrem adulentur fortunationibus. Ingenia neque ad prima initia rapi, neque pluribus hac ætate obrui oportet. Sed tamen ut in historia faciendum iudicas, sic & in dialecticis mature exerceri oportet, ut in musicis, mathematicis, arithmeticis, sed aliquo usque permulta eo spectantia, persecutus sum ἐν πολιτευομένῳ, quem forte Septembri videbis. Quæ scribis Patrem *Alvenslebium* filio optare, ea opto omni generosæ adolescentiæ, idque propter exemplum adolescentiæ, quanto iis aditus magis ad eam patet. De novis, quæ mittis, amamus te: mittimus vicissim Gallica: hic nihil habemus, nisi coniecturas: quibus ipse non studeo, qui divinator haberi nolim. Trium voluminum primum hisce diebus evulgatum mitto. Ex urbibus affertur, socias civitates conscribere militem: quid moliuntur? an quia sibi metuunt? an

quia

*) Vide supra No. XXIV.

quia impetum in nos renovant? Namque de nobis delendis SCtum fecerant altero ab hinc anno Brunonii, ad quem nuncium etiam cum metuendum non esset, cohorrui tamen: dabunt aliquando graves poenas, qui eiusmodi lites excitant & fovent, & suffragiis & auxiliis adiuvant. Eo res rediit, ut nulla urbium peccare deinceps posse videatur: quod si imperium occupabunt, quæ iam pridem agunt, erimus ad unum omnes γυναικοκρατούμενοι. Existimo enim quæ & qua de caussa mulier est in ædibus, id & ea de caussa esse imitatos in imperio. Id enim sunt publice mercinomia, quod domi, quod ad utramque cellam pertinent. Has primas litteras a Kal. Iunii scripsi, mensæ assidens; sed mane me ad prandium contineo in lectulo. Vale, Helmst. ex acad. Iul. Prid. Iul. cIↃ IↃc VII.

XXVII.

ISAACO CASAVBONO.

Causa mihi prima & potissima fuit ad te scribendi, ut intelligeres, te a me diligi & observari: neque tamen non, ut & ipse tibi essem notior & carior. Hinc mutuæ inter nos ex intervallo litteræ: ipse quoque ausus tui tibi mandare, quæ viderentur: quod neutiquam ut imperium, sed pro legibus amicitiæ acceperis & porro accipies. Iterum te valde rogo, ut ex nostris hominibus quæri iubeas de Friderico

rico Oveni F. Gunthero, quem παιδαγωγεῖν nescio cuius regii cubicularii filios acceperamus, cumque iis Lutetia migrasse alio. Annus est, ex quo pater de filio nihil inaudiit: quem ego nostra opera gravi sollicitudine liberatum velim. Hoc magis tibi curæ erit mea petitio. Venit autem ad te aut veniet familiaris meus *Henningus Arnisæus*, iuvenis præclare doctus, idemque medicus, quem meo & doctissimorum apud nos nomine complecteris. Veniet etiam Lutetiam item medicus D. *Iohannes Schlecerus*, qui est in comitatu Ducis Megapolitani: neque hunc minus tibi commendo. Velim ex his litteris & ipsi & qui in utroque comitatu, meam erga te benevolentiam & observantiam cognoscant. *Libanium* neque dum vidi: allatum ad amicum in vicinia intelligo: paucis diebus videro. Nostræ res altero abhinc anno fuere ἐπὶ ξυροῦ: adeoque magnitudinem periculi mihi referre non libet. Ego sub Kal. Ian. a fato abfui proxime. Quid mirum hac ætate, his ærumnis privatis & publicis? inter perpetuas ψευδοφίλων calumnias. Vale, Helmst. ex acad. Iul. Kal. Sept. cIↃ IↃc VII.

XXVIII.

BASILIO SATLERO.

Petitionis cuiusdam meæ, tam singulari cura ad te scriptæ memineris, eique in perpetuum,

ut rogaveram, locum dederis, æquiſſima quæ fuerit. Quid enim æquius, quam calumniam non admittere, nec mancipare ſe accuſatori, ſed alteram aurem reſervare reo: integrior eo ordine lata ſententia non poteſt. Ecce vero iterum *agnus bibens ex imo rivulo*, ſummum fontem turbaſſe perhibeor. Nam quod neque a me ſcriptum eſt neque cogitatum, id me & voluiſſe & ſtatuiſſe unus & alter autumant: atque ita contumelias ieciſſe in doctiſſimos viros: quæ tamen neque ex illa non inerudita, neque obiter effuſſa epiſtola, neque ex illo inciſo, quod exemptum proferunt, ne extorquere quidem ullo modo poſſunt. Vide vero, an non hæc eſt inhumanitas, ſiniſtram mihi de vita functis & viventibus iudicium affingere, quorum ſciens neminem offenderim, quibus omnibus ſemper gratificari ſtuduerim, quos obſervarim & prædicarim omni occaſione? annon inſuper inſcitia (nec enim malitiam dici velint) quod ex meis verbis nequaquam ſequitur, niſi rationem proiiciendam, & omni argumentationi turbidum animi motum anteponendum abſurde cenſeamus; id adſeverare, & hoc me voluiſſe, ſuſurris vel clamoribus conari perſuadere aliis. Cum hinc talia in aulam perlata eſſe comperiſſem, & alia ſcripſi, quibus hanc calumniam diluerem, & ſimul ad te has litteras dedi: ac rogo, ut conſideratis accurate omnibus, ne tam iniquæ quorundam ſententiæ aſſentiaris, & cum dextre de me, ut verita-

veritatis ſtudioſo, non ſuperbo aliquo criminatore iudices, & proceres ita plerumque occupatos, ut ad conſiderationem temporis parum habeant, doceas, minime gentium ita ſe habere, quæ illi ex nihilo inveniunt, & obſtinate quaſi a me profecta pronunciant. Ego vero præterea, non contendendi gratia, quod nemo tranquillitatis amantior & ſtudioſior, ſed pro innocentia mea ad mag. Dn. Cancellarium litteras tum aliam lucubratiunculam ſuper hac re conſcripſi, quæ conſiderata iterum & conſcripta brevi quoque ipſa mittam, Nam cupio ea ita perficere, ut & rei ipſi & bonis viris ſatisfaciam. Infenſis enim & calumniæ ne quidem ipſa ſapientia ſatisfaciat. Dignum feceris & perſona Theologi, & iſta auctoritate, & veteri tua in me benevolentia. Vale, 5. Sept. 1607.

XXIX.

IOANNI FVCHTIO, *Theologo.*

Sumus de tua valetudine ſolliciti: ego cumprimis afficior: nihil mirum: qui cum adverſa quotidie luctor. Nihil enim aliud hæc ætas pollicetur. Sed ſunt alia, quæ mihi vitam acerbiorem faciunt: forte recte hoc fiat nobisque utiliter, ut eius cupiditate non minus cruciemur. Sane quibus recreor paullum, pauca mihi obveniunt: aliquid in labore ſolatii quæro: minus autem invenio, quo aetas me

ad omnia segniorem facit. Nam *qui tota vita solebam cum sole surgere*, contineo me in lectulo ad antemeridianam ambulatiunculam: noctu meditor, quæ prima luce chartis illinam: sed ea utplurimum relinquo vel repudio. Legere forte omnem non potero: videre pervelim *Libanium*, quæso exempli tui copiam mihi ad unum mensem facias: mittas ad Behmannum, hic ad me Foppius nobis exposuerat: de aliorum scriptorum Iamblichi editione Gallica: quæso te, de iis inquiri iube Coloniæ: quod te hic monere oblitus fueram. Nostri amici egregie suum munus obeunt. Calumniandi enim neque finem neque modum faciunt: forte hoc in re ipsa est, calumnia videlicet, neque finem admittit, neque modum. Vale, Helmst. ex acad. Iulia IV. Id. Sept. 1607.

XXX.

HENRICO PETRAEO.

Piis tuis, & pro argumento admodum cultis versibus h. e. in eo genere perfectis, admodum fuimus delectati. Namque & familiaribus legendos dedi. Ille etiam, licet pauculos tibi gratissimos fuisse, prædicavit mihi hic communis amicus tui merito observantissimus, meque adeo commovit, ut eiusdem generis in sententiam eiusdem, quos in promtu habebam, mitterem: adieci alios alterius generis plures,

plures, factu difficiles. Præter enim quam quod rem videre non eſt cuiusvis ingenii, in quo multa hominum millia hallucinantur: (quotus enim quisque videt, quid non rem, quemque hominem, ſed quemque ordinem deceat, & qui in quibus errent,) ipſa inventa & intellecta verſibus exponere, ut ne modo apud hos, modo apud alios graviter offendes, vel ſaltem etiam ut intelligatis: arduam pietati & expertus ſum. Illud autem ſtudui cavere, quantum valui, atque etiam debui. Nam veritatem ſecutus ſum, quæ non omnibus æque grata eſt. In altero elaboravi, pari ſuperſtitione, & quantum in me ingenii ac ſtudii fuit, adhibui. Tui eſto iudicii, quod aſſecutus ſim: impendi. Certe huic ſcriptioni plurium noctium vigilias: induxi alia atque alia, quædam prorſus adieci, donec hæc reliqui, quo ferre poſſe, & ſi quid iis uti velim, profutura exiſtimem. Demum enim non proſunt, niſi vera & iuſta. Namque ut luculente illuſtrarem omnia, ne quidem conatus ſum, neque conari debui, qui tenuitate ingenii mei aſſequi non poſſem, in quo ſi non nihil valuiſſem, id omne, aut maximam partem abſtuliſſet ætas ſequior & triſtior. Ceterum, quod hanc familiarem complecteris, qua ego benevolentia, & hoc nomine tibi gratias ago, teque laudo, ſive utrumque laude dignum iudico. qui cum hoſpites diligamus, cives etiam noſtros amamus, ipſi expertes omnis invidiæ.

 Qui

Qui ſecus affecti ſunt, quid quibus de cauſis debeant, non intelligunt, quæ non minor etiam malitia eſt, quam inſcitia. Exteros autem, qui non ſolum in cives, & ipſam eruditionem conſpirant, ſed etiam ſecuri a nobis ſuum imperium volunt, cum nos oderint, amare certe non poſſumus, debere nos, nemo ſanus dixerat. Probis autem bene merentibus, quomodo nos agimus. & volumus & velle debemus, undecunque ſint, & eos ipſe lubens in intimam amicitiam adſciſco. Sed huic conſiderationi multum aliquanto temporis tribui, excitatus hominum levium iniuriis enitar, ut ſuper hac re a me aliqua aliquando lucubratiuncula appareat. Vale, Helmſt. ex academ. Iul. prid. Kal. Octobr. 1607.

XXXI.

MAVRITIO CANNE.

Quod velle te ex litteris tuis videram, (etenim te venturum ad ſolennem Francofurti mercatum oſtenderas,) in eo tibi morem gerere conſtitueram, ut ad te ſcriberem uberius: ſed noſtri dicto citius ſe in iter dederant, idque adeo cognovi tum demum, cum abiiſſent. Aliquid enim ſaltem ſcripſiſſem. unde in his ærumnis & publicis & privatis ſpirare me videres: certe vero vix reſpiro, quia ſemoto uno malo, ita ſuccedit aliud, ut in fluvio aquæ

quæ delabente aqua. Calumnia vero per unius alteriusue malitiam ſedulo officium facit, neque quidquam intermittit, quod ad me evertendum, & odia plurimum mihi meisque concilianda faciat: quod ſi aſſequatur, inſcitia facile palam obtineat. Ecce vero cum proxime quadam ad *Remum* epiſt. ornaſſem noſtrum *Cellarium*, facta mentione *Cornelii*, ex quo ille diſceret primam philoſophiam, & hunc prædicaſſem, ut primarium profligatorem barbariæ hæc mea verba maledicentiſſima calumnia quidam illuſtravere primum hic, deinde in aula, ut vapularem plurium reprehenſionibus, qui hæc non intelligerent, neque legiſſent: ego ſcil. illum præ aliis laudans, alios magnos viros contumelioſe habuiſſe perhibebar. Vellem noſſes omnem comœdiam, videres affatim inſcitiam & execrare malitiam. Nec fuit mihi nihil operæ ponendum in quibusdam ſcribendis eo nomine, quæ aliquando cognoſcentur a pluribus: nec tamen ipſa malevolorum nomina verbo tangam, digna omnino tenebris. Cetera publica, quo eruptura ſint, non prævideo, niſi quod, unde quid boni ominer tumultuantibus, nihil habeo. Nec eſſe ſolet ſecundus eventus contumaciæ. Princeps ipſe ſuperiore menſe ad Imperatorem abierat: gratius eſſe refertur in regia, & credo, cum ob animi magnitudinem, tum ob ſapientiam. Scis hoc agi. ut illi redigantur in ordinem, qui demonſtrati ſunt debere obedientiam. Sed quid

iſtinc allatum? Turbas excitatas, vicos direptos, inermes etiam trucidatos, periiſſe aliquot millia arrepta utrinque arma. Velim ex tuis de iſto motu cognoſcam, quod hactenus fama nonniſi incerta nuntiantur: forte abieritis, aut alio vos conferetis. Illuſtriſſimis & aulæ magiſtro cupio eſſe commendatiſſimus. Vale, Helmſt. ex academ. Iul. Kal. Octobr. clↄ Iↄc VII.

XXXII.

TOBIAE PAVRMEISTERO.

Ita uti mandas ſive promittis, exequar omnia: argentum hodie reddam typographo: ad cuius præſentem numerationem promtior ille ſemper eſt: neque deinceps erit mora: ſed chartæ elegantioris duos adhuc faſces poſtulat: ſi quid ſupererit, eo mihi utar. Exempla tua erunt omnia, præter ea, quæ ego edito opuſculo a te diſtribuo hic paucis, plurima longe gentium dono mittam aliis. Eram laudationem defuncto Comiti ſcripturus, ſed quibus opus erat, ea adhuc deſidero. Cras ſolemniter introducitur *academia Giſſenſis*, quod programmate edito ſignificatum eſt, non ſatis luculento: oblitus fuerat ſive non didicerat ſcriptor, luculentum eſſe principium rei faciendum, quod luculentus dixit Pindarus. Vale, Helmſt. ex acad. Iul. prid. non. Octobr. 1607.

XXXIII.

XXXIII.

Ex appendice ad EBERHARDVM *von* WEIHE.

Apud nos gener meus Cl. vir D. *Theodorus Adamius*, funebrem orationem ſcripſit, & cum admiratione auditorii pronuntiavit publice: denique typis expreſſam in aulas miſit: neque tamen remuneratione, neque litteris gratam eſſe reſponſum fuit. Non hoc illum, ſed me male habuit. Neque enim ille eget, neque avarus eſt. Dolui & doleo, apud proceres non magis in honore eſſe exquiſitiſſimum aliquod ingenii monumentum, quam exercitium adoleſcentuli in aliquo ludo puerili. Ad unguem erat perfecta, quod tu quoque dixeris. Nam niſi fallor, exemplum illius orationis à longo intervallo ad te miſi. Cum vero audiam, Illuſtr. Comitem veſtrum magnificum eſſe in omnibus, velim etiam ſit erga ſtudia ſapientiæ. Si eſſe cognoſcam & tu non improbas, aliquam mearum lucubrationum ad ipſum mittam. Nam ne ignores, ex his turbis & crebris academiæ mutationibus in magno ære alieno ſum: neque hodie quisquam eſt, qui Caſelium reſpiciendum apud nos cenſeat. E Polonia, *Archiepiſcopus Salicovius*, qui cum mihi amicitia fuerat in adoleſcentia ad Albim, deinde *Zamoſcius*; his defunctis, Zamoſcii filius & hoc anno Palatinus Cracovienſis munera ad me

miserant. Absque his fuisset, esurirem, qui iuventuti inserviam docens in academiis annos iam quinque & quadraginta. Huius loci motus me perdiderunt: calumnia quorundam mihi, meis & familiaribus infestam aulam reddidit: imo & litterarum studiis. Nos per contemtum *Caselianos* nominant quidam exteri novæ eruditionis homines, & qui cum his faciunt: ipsi cum factiosi sint, de publico bono parum solliciti, gratiosi & divites, nobis factionis nomen affingunt. Ita vivimus vitam quandam in academica aulicam: alia erat ratio in academia *Rostochiana*, ubi nihil inicitiarum, nulla odia, vix inter unum atque alterum aliquid simultatis. Verum hæc queror frustra & deploro senilem in morem. Vale.

XXXIV.

BORCHOLDO.

Mutuum facimus, ut tuos ego, tu meos ames, & iuvemus, qua re valeamus, hoc est, potius societati mortalium, quam nobis inter nos serviamus. Nam quod tu a me aliis, ego aliis a te præstamus, id in nos hoc solo nomine redundat, quod quæ virtutis & officii sunt, non negligimus. Igitur laudis aliquid nostrum est, absque utilitate. Quæ mittis, communicamus porro aliis: quæ ab eo tempore evenerint, non cognovimus. Non. Octobr.

Gissen-

Giſſenſem academiam inauguratam, ignorare non potes, qui cathedram primus illic aſcenderis ad diſputandum: declaratur unus Theologus, XII. Philoſophi. *Academiarum eſt in Germania ſatis:* doctrinæ non nimium, quando *quotannis in campum veniunt exercitus ſcribentium*, qui multitudine lectores facile vincunt. In illis ipſis me quoque video, etſi rarius appareo: qui enim auſim? qui acres habeo emendatores, etiam ipſa inſcitia ſuperbos. Sed hanc vitam tu amas. neque hoc reprehendo, qui hic tecum ſentio: ſed quod tuam reprehendis diſſentio. Nec te dignum eſt, genus vitæ deteſtari cum iſta dignitate. Eſt autem hoc dignior, quo cum laborioſior, tum ad publicam ſalutem utilior atque magis neceſſaria. Si mihi minus credis, audi Philoſophum & parce imperatori: Μηκέτι, inquit Antonius, σου μαθεὶς ἀκούσῃ κατα μεμφομένου τον ἐν αὐλῇ βίον. Μηδὲ τὸν σεαυτοῦ. Sed ſatis eſt, inquit ille, philoſophatum apud Comicum. Vale, Helmſt. ex acad. Iul. XIII. Kal. Novembr. cIↄ Iↄc VII.

XXXV.

LVDOLPHO AB ALVENSLEBEN.

Monuit me gener meus de libello, cuius ſpem ante feceram. Cum enim de educatione filiorum tuorum ageremus, dixi me illo attigiſſe, quædam etiam cum diligentia expli-

explicasse, quæ eo pertinere iudicarem & doctissimos homines prisco sæculo & nostro etiam apud cultissimas gentes observasse comperissem. Mitto ad generositatem tuam in præsentia potiorem eius partem. Quæ enim præterea adieci, ad confirmationem superiorum faciunt. Nec dubito, quin, ubi percurreris, & rationes consideraveris, ab explicatione nostra non longe abiturus sis. Libenter autem discedo ab iis, qui non nisi sua probant, & ementitis compendiis optima etiam ingenia in fraudem illiciunt: quæ res etiam fraudi est rei publicæ, cum ad speratam solidam frugem, perperam educati, raro aut vix unquam perveniant. Dabit præterea tibi legendos gener quosdam a me longo sane tempore elaboratos, certe meditatos versus: in qua lucubratione quædam de ordinibus Imperii attigi, perscrutatus potissimum, quæ ad civitates pertinent, vera, uti spero, omnia, aut certe ad veritatem proxime accedentia: quibus sancte observatis feliciores erimus, quam hodie sumus in hac vicinia: similem controversiam vidi olim in littore Balthico, illa fuere noxia satis, hæc multo deteriora sunt. Nos hactenus latet, qua in spe sint omnia. Vale, Helmst. ex acad. Iul. VI. Kal. Novembr. cIↃ IↃc VII.

XXXVI.

XXXVI.

THOMÆ A KNESEBECK.

Trium filiorum tuorum ingenia prædixit mihi gener meus *Theodorus Hupæus*, & propterea ostendit constituisse te, eos huc mittere, sacris musarum de more initiandos, & quidem domum meam, si mihi esset commodum. In re tantilla tanti Viri filiis lubentes gratificabimur: cumque omnes domus meæ partes habitentur, familia, quæ una veniet, divertet in viciniam. Quæ de more vobis legenda mitterem, non habebam, nisi quæ saluti publicæ consecrata meditatus sum mense altero: de rei veritate vos, qui præestis summæ rei iudicare, non ægre fero. Proposui mihi veritatem, qua perspecta patescet ad iustitiam aditus: ex huius legibus cum ab omni parte geruntur omnia, salva pleraque necesse est. Quod si eius generis consilia usurpata fuissent initio, nihil fuisset natum mali, ut ego suspicor: hodie concordiam votis quærimus, manu neque prehendimus, cuius demum homines non absque magno malo fiunt compotes. Hoc enim futurum ominari malo, etsi compositionis initium nondum prospicimus, de qua divina re sive e fama verba facere non nullos audio. Vale, Helmst. ex acad. Iul. VI. Kal. Novembr. cIↄ Iↄc VII.

XXXVII.

XXXVII.

MATTHIÆ A SCHVLENBVRG.

Bis te hac tranſeuntem vidi: utraque vice, ut te agnoſcerem a comite monitus: velim & quæſo, ut hac tranſiens ad ſermonem horulæ domum meam declines: forte ex te aliquid audiam, aut erit, quod ex aliis tibi commemorem. Adfuit mihi proxime familiaris tuus *Heroldus*, aiebat quidem ille, patriam vacare contagio: quod cum alii ſecus narrent, fieri poteſt, ut domum neque dum reverterit. *Academiam Ienenſem peſtis prorſus diſſipavit*, & nunciant, qui inde ad nos venere ante triduum: hactenus in tuto ſumus: quod faxit ipſa ſalus perpetuum. Frater tuus & Ioachimus e Germania decedentes ad nos ſcribant: *Arniſæus* item ad me litteras dedit. Lutetia nihil fere niſi de *Caſaubono*, & itineribus, quæ in Gallia una facerent. Neque ipſe modo habeo, quod nunciem. Etenim neque ὁ ἄρχων rediit, neque e regia Imperatoris certi aliquid adfertur: in urbe in bona ſpe ſunt, controverſiam omnem compoſitum iri: id vel precantem olim, vel initio actum oportuit, modo a tantis fluctibus repente ſerenitatem ſperare, rationis parum habere mihi videtur: forte tamen quæ utrinque difficultates ſunt, frangent utrobique ſtudium, ſi quod fuit diſcordiæ: quod certe non fuit ab hac parte: negabunt & alteri: voluiſſe

ſe

ſe in libertatem aſſerere negantibus nemo credet, niſi qui ſine cauſa aſſentiatur omnibus. Vale, Helmſtadii, ex acad. Iul.

XXXVIII.

THOMÆ A KNESEBECK, *Præſidi in Marchia Veteri.*

Nondum obſignaveram litteras, quas ad te genero meo eram daturus, cum domum meam prætervcherentur tres filii tui. Eorum præceptor cum tuas mihi reddidiſſet, ſtatim conſtituimus de initiatione. Hæc cum exararem, nihil amplius deſiderabatur: non ſolet ludicra ἐρεσχελία ad quorundam agreſtia ingenia introducta & viſa neceſſaria: modica tamen apud nos eſt: exploratio animorum, ingeniorum & profectus potior eſt: hic ita ſteterunt, ut non absque cauſa apud nos laudati ante fuerint, qui impuberes ea didicerint, quæ plerique adultiores non attigiſſent. Sed ea eorum εὐφυία, & huic annata ſive innata φιλομαθεία. Facis dignum ſapiente patre, qui tuos ſtatim procul a deliciis abductos educas ad laborem, modeſtiam & pietatem: quæ ſunt veræ deliciæ, non ſolum quod minime pœnituit, ita fuiſſe educatum, ſed quod aliis videretur acerbum, ita inſtitutio in ſolidam voluptatem tranſit. Accepere iam collationes ab aliis: non ego aliter eos dimittam, onerabo etiam præceptis, quorum

rum meminerint. Magnam etiam & veram laudem meretur *præceptor*, qui tot annos tanta cura & diligentia hoc munus molestiæ plenum, vulgo vulgare habitum, sed prorsus magni æstimandum, recte & feliciter gessit: nec potuit a te constitui prudentius, quam ut a probo & erudito viro, quasi e cunis educarentur, donec utriusque linguæ principia integre accepissent. Neque vero etiam leviter degustavere nonnulla in studiis sapientiæ prima vel cum primis necessaria. Est autem qui alteri magistro successit, ea doctrina, ut ego iudico, & ea fide, ut res ipsa loquitur, ut filiis tuis optime in omnibus consulturus videatur, quem modo non nisi hoc monendum putavi, *ingenia ista ætate obrui non expedire, & intervallo quietis dari vel etiam imperari ipsis oportere.* Video enim eos se inter se æmulari, & ita fieri, ut contentius procurrant, quam ut gradum sistere posse videantur. Sed hac de re, & si quid opus esse præterea putabimus, (namque & familiares mei mirifice volunt filiis tuis, & quid iis, quando ex usu sit, dispiciunt) scribam aliquando cum diligentia, præsertim cum id iubeas. Aut enim suggeram, quæ negociis publicis semper occupatum forte fugiant, & vos in iis, quæ recte perfecteque constitueritis, non auctoritate, sed rationibus, quæ in hoc genere tutissimæ sunt, confirmabo. Iis egodum insisto, non sequor eos, qui, qua via ipsi non aggressi sunt, eam rectam iuventuti invident.

dent. Nisi enim hoc agerent, statim exciderent opinione sapientiæ, qua auctoritatem suam in vulgus fulciant. Tui observantia & studio tuorum me cedere nemini si statuis, de me & amice & vere sentis, de tuo erga me meosque animo dubitare mihi in mentem non venit. Vale, Vir Amplissime. IV. Kal. Nov. clɔ Iɔc VII.

XXXIX.

RABANO CHRISTIANIO,

Göttingensi, Philos. Mag. Scholæ Parchumensis Rectori.

E die subscripto alteri epistolæ vides, quando Cornelius hominem conduxerit, qui Sundium iret: sed hic delicatus admodum, cum gravior tempestas incidisset, se domum potius cum incommodo recepit, quam cum lucro pergeret: illi ambo succensuimus, sed ille gravius, cuius maxime interesset. Mitto iam primum fasciculum, in quem coniiciam nescio quæ præterea. Interea nihil occurrit, præter *vicinæ* meæ obitum, quæ aliquot annis *excessisse centesimum* dicitur: & heri funus factum. Eius ego mihi longævitatem propterea non optarim, quod ad annos per se calamitosos semper accedunt novæ miseriæ, cum privatæ, tum publicæ, quibus senes magis afficiuntur: debebant minus, quo prudentiores essent, sive

esse perhiberentur. Te vero, cum non quereris, sed perturbationem aliquam iudicas, quid tantopere sollicitas? Sed id tum recens fuerit, quando hæc leges superaveris τὸ πάθος: sin, posce a ratione medicinam, & te virum esse memineris: tulisse multa gravia & superasse, & eius generis alia nobis perpetienda. Etiam me vide, qui a vilissimis hominibus, quamdiu hic sum, exerceor, e Medii disciplina profectis, qui calumniæ artem & potestatem noverint. A patre tuo in hunc diem nihil allatum: & homo denuo in patriam nostram ierat. Neque ab Imperatore redierat ὁ ἄρχων: mense exspectatus; hodie valde exspectatur. Feret secum decreta, ut ominantur, primæ notæ, nec ipse ominari diversum debeo: neque tamen non cogitari de hominum consiliis, non æque, ut oportebat, ad veritatem relatis suspenso animo exspecto & ipse reliqua. Vale, Helmst. ex acad. Iul. Non. Novembr. cIɔ Iɔc VII.

LX.

Ad maiorem harum & sequentium litterarum intelligentiam sisto tibi B. L. tabulas cæsareas, in controversia Brunsvicensi datas.

Die Römisch Kayserl. Mayst. Vnser allergnädigster Herr, haben angehöret und vernommen, was der Durchlauchtigste Hochgebohrne

bohrne Fürst und Herr, Herr *Heinrich Julius*, Hertzog zu Braunschweig und Lüneburg &c. wieder die *Stadt Braunschweig* nochmals vor Klagen und Beschwerden anbracht, was auch hierinnen erst gedachte Stadt zu ihrer Verantwortung eingewandt, und daraus gegen einander eins des andern Theils gesuchet, und gebeten worden. Daraus so viel erscheinet, dass der Streit, über welchen Hochermeldt. Kays. Mayst. den Anschlag zugeben hat, itzt fürnemlich an dem ist, ob mehr gedachte Stadt den Kayserl. ihnen insinuirten Mandatis und Achts-Brieven gebührlichen pariret habe, oder nicht. Wiewohl nun Ihro Kays. Mayst. die beyderseits hinc inde deswegen in ziemlicher Anzahl nach und nach übergebenen Schriften, samt der Herren Kayserlichen hierunter gebrauchten Commissarien Relation, auch angeschene Inquisition, und andere Documenten mehr fleissig besehen und berathschlagen lassen. Jedoch weil das Werck sehr wichtig, und unterschiedlicher fürnehmer Stende, ia des gantzen Nieder-Sächsischen Kreisses, damit der Sachen bestendig und aus dem Grunde geholfen würde, Ihro Kays. Mayst. unterthäniges und embsiges anruffen: So haben sich Kays. Mayst. gnädigst erinnert, dass Dero Hochgeehrte Vorfahren Christmildesten Andenckens, so wohl Ihro Kays. Mayst. selbst bey Dero weit aussehenden Fällen, ia weil um des Heil. Reichs Churfürsten, Fürsten und Stenden,

 oder

oder Dero angeordneten Räthen, Bottschafften und Gesandten (bevorab wann etwan eben umb dieselbe Zeit gemeine Reichs-oder Deputations Versamlunge ohne das gehalten würden) ein rathsames Gutachten begehret und erholet, und so es dann der Zeit an dehme, dass täglich ein algemeiner Reichs-Tag von Ihro Kays. Mayst. in des Heil. Reichs Stadt Regenspurg angefangen werden soll: Als sint die Kays. Mayst. aus erheblichen reiflich erwogenen Vhrsachen entschlossen, in dieser schweren Handlung eheberührtes Mittel ebener massen fürzunehmen, und obangezeigte Acta sambt allen Zugehör Ihro Kays. Mayst. freundtlichen geliebten Herrn Vettern und Sohn, dem Durchlauchtigsten Fürsten und Herrn, Herrn *Ferdinando*, Ertz-Hertzogen zu Oesterreich, des zuvorstehenden Reichs-Tage deputirten Hochansehnlichen Kayserl. Commissario vollkömlich zu überschicken, mit angeheffter Verordnung, dass Ihro Durchlauchten dasselbe Churfürsten, Fürsten und Stenden, oder Dero Räthen, Bottschafften und Gesandten im Nahmen und auf Befehl Ihro Kays. Mayst. communicirten, sie umb ein wolmeintliches rechtmessiges Bedencken ersuchen, auch endlich dasselbe in Schrifften verfast, Ihro Kays. Mayst. zufertigen solle, nach Erfindung desto füglicher alsdenn wissend hauptsachlich zuerkennen, und zusprechen, auch wircklich zu exequiren, und zu vollenziehen, was Recht ist.

Dar-

Darnach sich also vor dismahl alle Theil zu richten. Zum Beschluss ist Ihro Kays. Mayst. ernste Vermahnunge, auch endlicher Wille und Meinunge, dass hierzwischen weder Ihro Fürstl. Gn. der Hertzog, noch die Stadt Braunschweig oder iemand anders, were der sey, keiner ausgenommen, einiger eigenen gewaltigen That, unter was Prætext und Schein es immer erdacht werden mögte, sich unterstehe; Sondern bey Vermeidung Ihro Kays. Mayst. höchster Vngnad und Straffe des Land-Friedes, insonderheit Ihro Kays. Mayst. und des Heil. Reichs Acht, dessen gentzlich enthalte, und wie sichs auch geziemet, nach angehaltenen Kayserlicher schrifftlicher Entscheidung ruhelich und gehorsamlich verhalte. Dass haben Ihro Kays. Mayst. allen Theilen zu vermelden, und anzuzeigen befohlen. Sign. Prage unter Ihrer Kays. Mayst. hierunter aufgedrucktes Secret den 15. Novembr. cIↃ IↃc VII.

* * * * * * * * *

XLI.

IO. CORFINIO, *Consuli.*

Heri apud me fuit Rud. Monichovius revertens e Dania: aiebat se fuisse istic apud patruelem tuum: de te nihil cognoverat. Expos fuit nobis de sceleratissima quorundam coniu-

ratione, qui urbi incendium comminati extorquere magnam vim argenti conati, deprehensi & in carcerem coniecti sint: de quibus grave supplicium sumtum, ut meriti fuerunt, non dubitamus: hæc ut se habeant, familiares ex me sciscitantur. Meam ad te lucubratiunculam nondum descripseram: leges proxime, etsi non ad alios, certe apud animum tuum probabis, aut melioribus rationibus veriora me docebis. Vale, Helmst. ex acad. Iul. Non. Novembr. 1607.

XLII.

HERMANNO DIERSTADIO.

Litteras tuas N. mihi adveniens reddidit: interea advenit frater tuus: qui tibi erit pro litteris uberioribus. Venit enim domum meam aliquoties, videbis apud eum, quæ flagitasti. Velim *Scaligeri* ὑπόμνημα innotescere pluribus, præsertim iis, qui quid monumentis litterarum consignare, aut aliquid ex orationis perspicuitate & elegantia laudis reportare cogitent. Vale. Helmstadii, ex acad. Iul. Non. Novembr. 1607.

XLIII.

IOANNI BODEMARIO.

Facis bono viro dignum, qui diligas popularem tuum Iustum Mereldium, & pridem ornan-

ornandum susceperis. Debemus enim nihil non patriæ, ingeniis & probitati. Ego vero non solum ita sentio, sed idem facis, quod in me est: cumque opis non multum de meo, nec multis ferre possim, quem benefaciendi studium augeri fortunæ bonis non permisit, duobus sum liberalior, ut quos probem & consilio bono sedulo adiuvem & bonis viris libenter commendem: aliquando ultro, rogatus ut plurimum. Probo autem, quod & tu facis, & ingenia & probitatem. Ingenia enim petulantia sibi relinquo, nisi in viam redeant, quorum tamen & ipse correxi multos. De hoc autem populari vestro e cultu & verecundia a principio bene sentio, animadverso simul prius in litteris profectu & diligentia. His de caussis dedi ad te proficiscenti aliquando litteras, quas quia tibi gratas & ipsi utiles fuisse intelligo, iterum me monenti has quoque dedi, potius ut tibi eius nomine gratias agerem, quam ei denuo quid rogarem: etiam vero, ut ipsius pudori subvenirem. Neque enim etiam, nisi per litteras mihi explicuit petitionem suam. Quæritur de orbitate & tenuitate sua. Quæso igitur, quod hactenus abs te factum est, consilio eum & re adiuves, ut ne, qui ingenii bonitate plurimum progressurus videatur, fortunæ asperitate de eruditione, ad quam animo & studio adspiret, desperet. Facile autem aliquid invenies, qui consilio & auctoritate valeas, cumque omnia sponte facturus sis, &

hoc recte fieri præclare intelligas, pluribus modo ad te verbis non utar. Mitto, quæ a nobis, si quod otii habebis, legas, cuius in istis occupationibus penuriam vobis esse scio. Qua occasione quidam mei parum amantes, mea & hic & istic interpretantur non satis amice, meisque scriptis ea affingunt, quæ neque mihi in mentem unquam venerant, eque iis minus quam aqua e pumice queant exprimi. Nescio, qua secundæ fortunæ opinione ebrii meam senectutem despicatui habent & ludibrio, nulla re a me offensi. forte & ipsi aliquando a me ornati: solitæ conditionis mortalium, nullam esse humanæ felicitatis certitudinem, neque fabro inventum illud verbum *de sero vespere.* Quæso vero, cum mihi persuadeam, te nullius maledicentiæ aures animumve commodare, ut & alios moneas, ne audiant calumniam. Vale, Helmst, ex.acad. Iul. VII. Id. Novembr. 1607.

XLIV.

IOANNI SCHLEZERO, *Medico.*

De tua erga nos benevolentia confirmarunt nos litteræ tuæ: sed id ex iisdem libenter cognovimus, te salvum, & res tuas postea quoque *Arnisæus* ad nos scripsit, & familiares exposuerunt, te honore auctum, & qui alter ab illo est, in familiam Illmorum Ducum Megapolit. adscitum, longinquum iter suscepisse: de

de utroque amici tibi gratulabantur, quod per litteras a pluribus fieri non potuisse, facile intelligis: præsens animum in te nostrum perspexistis, si paullum a via declinasses, hæc transissetis: imo declinaveritis forte hinc, quod hæc loca minus a contagio tuta esse a falsis rumoribus accepissetis. Namque hoc tempore eo nomine, Dei bonitate, salva hic sunt omnia: ceteroqui - nostra sunt calamitosane dicam, an dubia? Nam postquam hæc turbata fuere a nescio quibus quantisque furiis, dissipata iuventus huc respicit quidem, sed non redit, quando adhuc illa pendent. Neque bellum hic, neque induciæ, quæ tamen videntur esse, dum utrinque nihil geritur, neque spem conciliationis videmus, neque huius ego rationem, quando illius populi hereditaria est ἀπειθαρχία, nec id ab uno seculo. Sed & alia obstant, quæ sermone potius explicentur, quam epistola. Neque tamen hic omnia oppleta existimes inaniis. Namque & publice & privatim diligenter docetur, non absque eorum indignatione, qui cum turbent ipsi, queruntur tamen hæc a quietis & officium facientibus, in quorum voculas intenti sunt, ipsimet non obliti maledicentiæ. Sed quid ego hæc tango, quæ ne voluminibus quidem explicentur? *Duncanus*, primum decus academiæ, pertæsus eiusmodi consuetudinis, cedere maluit, de quo retinendo ipse cogitavi, & quos oportuit, monui. Sed nemo viro, etiam cuius

adeo necessarius usus esset, scindendam penulam putavit: magno incommodo, sed ordinis medici potissimum, *Duncano* caremus. Sed hæc iam præteriisse putandum est. Vale, Helmstadii, ex academ. Iul. 16, Kal. Decembr. cIↄ Iↄc VII.

XLV.

HENRICO OPTIMIO.

Quanto lentius fuit istud negotium, tanto rectius expeditum suspicor. Neque enim de eventu ante dubitavimus. Sciebamus enim, quid vellent & quo respicerent, quibus ἔφορα educationis publicæ incumberet & curæ esset. Auguror porro, quid nisi optima? Novi enim littaras. animum & industriam tuam: ego tamen maius quiddam tibi fueram meditatus: verum hoc tuis parentibus minus visum fuerit, qui sumtum fugerent. Tuus autem Οἰωνίδης, & rectissime eruditus & dicto audiens est Hoc quod libenter est, id totum tibi debet, qui puerum non habuisti indulgentius, quam oportuit. Excitatur autem non solum nostris cohortationibus, sed & exemplis fratrum, & quidem admodum proximi: a quo habeo litteras, tum datas, cum e Germania iter ingrederetur in Galliam: neque non ipsum collaudatio Rudigerus acuit. *Reccius* totos dies mecum est, ideoque hæc scribenti assidebat:

ὁ ἀρ-

ὁ ἄρχων rediit, *negotio reiecto*, non optima spe, *in comitia Imperii.* Poteſt autem quid fieri melius & felicius, quam ut pareant, quos parere natura & leges iubent, quod ei populo, quam diu ego hunc aërem hauſi, cordi unum fuiſſe, ex ulla coniectura non habeo, & falſos vidi, quicunque hoc ſibi perſuaderent: utinam non fallamur in perpetuum. Fallemur autem, & hoc malum propagabitur in alterum ſæculum, niſi ſingulari conſilio id provideatur ab Imperii ordinibus, quod ut fiat optabimus. *) Ricovinus pertæſus illius loci, quamobrem me fugit, brevi nos aderit: cui quemadmodum conſulam, modo cogitabam. Plura e Cunone populari tuo audies. Quæ legenda mitto, cum amicis noſtris velim communices, a me nihil ſcribitur, niſi ſaluti publicæ privatæve deſtinatum, atque adeo nihil prodeſt publice, quin idem & privatim: neque quid quam privatim, niſi publica ſimul & ornet & fulciat. Vale, Helmſt. ex acad. 14. Kal. Decembr. clɔ Iɔc VII.

XLVI.

ISAACO CASAVBONO.

Hoc genus litterarum vacare creditur negotio, vix habere partem officii, quod plerique bene-

*) Hoc votum providentia divina implevit, cum anno 1671. 2. Junii vrbs Brunſuicenſis Sereniſſ. Ducibus Brunſuicenſibus annis recuperata eſt.

benevolentiam in officio non ponunt, minus eius indicationem, quam hoc modo inter nos facimus. Ego cum ſecus ſentiam, ad familiares ſcribo, non ut olim, occaſionem quamvis arripiens, ſed ex intervallis. Inde fit, ut uter noſtrum proxime ſcripſerit, non recorder: a te menſibus aliquot nihil allatum eſt. Ipſi tum ſcripſi, cum indignationem meam oſtenderem acceptis tuis, quibus *Scaligerum* aiebas συκοφαντῆσαι quod tibi quoque evenire, ſive innuebas, ſive accepcram ex aliis: eiusmodi quædam vidimus, legere familiares, deteſtati una meccum eiusmodi conſuetudinem ὑπερβάρβαρον. Neque enim ſimplex peccatum eſt, quod ab iis committitur, qui ſe in litteris eſſe profitentur, multiplex eorum, qui in tali ſcelere ſanctimoniam præ ſe ferunt: neque ipſe pro quoquam loquar: qui eos mores deteſtor omnium maxime, nempe διαβολὴν, & quæ ex hac oriuntur, & quæ cum hac coniuncta ſunt. De te ſcribit Remus, ſe a te diu nihil habere: paulo ante iſtinc meus familiaris *Arniſæus, iuvenis magni ingenii, pereruditus & probus ſcripſerat*, ſe accepiſſe ex te, in Germania neſcio quem oceanum effudiſſe in tuam innocentiam. Id tibi a noſtris hominibus eveniſſe, moleſtum eſſe non miror. Neque enim ita de litteris meritus es, neque noſtræ gentis ii ſunt mores: certe integritatis Germanicæ eſſe non debebant. Nova hæc eſt coniuratio quorundam,

rundam, quibus non benefacere studio est, sed maledicere. Illud cum nequeant, sive per inscitiam, sive per malitiam, hoc agunt studio sive nocendi sive innotescendi: hoc pacto nobilitari bonorum nemo velit. Hoc est scilicet publice perpetuo laboræ bene merentium, & nemine non probantium sua studia & modestiam fatum, sive præmium repositum a malitia atque inscitia. Idem, qui mihi de te per litteras retulit itemque alii, qui reversi hoc mihi retulerunt, coram tibi ostenderint, quo loco hic sim, imo simus: neque enim nulli præter me invisi sumus uni atque alteri, quibus elegans eruditio & omne studium sapientiæ tantum non pro veneno est, aut si quid hoc inveniatur magis noxium. Mihi tamen hoc evenire? qui iuvem, quos queam; læserim eorum neminem. Ita vero me in omnibus modesti gessi, ut solebat *P. Victorius*, cui ego iuvenis operam dabam. Verum ille morbus est, an calumniæ, an sæculi, in quod incidimus? quo etiam aliquas esse litteras, aliquid virtutis & veritatis, iis etiam dolori est, qui omnia prima iactant, & præ se ferunt. Solebam illa ridere, & ferre minus iniquo animo, atque hodie, quando æquius erat, me omnia eiusmodi flocci facere: At vero, sive ego ignavior factus sum, sive graviores in me fluctus irruunt. Namque ut de aliis privatis incommodis non dicam, publica cuiusmodi fuerit pluribus annis apud nos, forte rumoribus istæ perlatum

latum ſit, modo aliquando aures tuæ famæ paterent: quin in hanc diem cum diuturnis hiſce & gravibus ærumnis luctamur, e quibus emergendi ſpes nimis diu fovetur fruſtra. Redierit ad te unus noſtrorum familiarium, aut propediem vobis aderit, *Ioan. Peparinus*, mei a puero ſtudioſiſſimus, tui obſervantiſſimus: ex quo & plura de me iterum audies. Non eſt, ut tibi carum hominem commendem: & habet comitatum per ſe commendatiſſimum. Verum hæc iam intellexeris, aut paucis diebus intelliges. Vale, Helmſt. ex acad. Iul. clↄ Iↄc VII.

XLVII.

CONRADO RITTERSHVSIO.

Et doces me, Rittershuſi, & conſolaris. Ego neque ſcio, ut me erga certos homines geram, neque neſcio. Ignoro, quod quemadmodum id genus placem, aut compeſcam, aut mitigem, non video etiamſi ſcio, & quid mei officii ſit, & facio, quantum per ſenilem imbecillitatem omnino poſſum, quod certe hodie minimum eſt, vel nihil potius præ iis, quæ iunior ſive agebam ſive moliebar. Neque enim, quantum volui aut etiam debui, præſtiti, etſi de egregia mea erga litteras, & earum tam antiſtites quam cultores voluntate ſatis conſtare arbitror. Ne tamen nihil facerem, etſi neque tum ſcriberem, neque meditarer, audiebam liben-

libenter alios; & lectitabam multa sane, neque omnia neque omnis generis, sed in hoc remisi non ultro, uti & de ambulabiunculis ante cibum, quas ab anno obeo rariores & breviores. Lego enim porro pauca, nisi quod Libanium nactus, legi plures paginas, quam aliquot ante mensibus. In quibus studiis cum fuerim & perseverem, rerum, quid alii tractarent, curatio mihi nulla fuit, nedum cui maledicerem: etsi se lædi suspicarentur ii, qui de elegantionibus litteris & studiis sapientiæ perperam sentiunt, & obstinata pertinacia, quantum in ipsis est, omnem iuventutem cogunt in castra inscitiæ. Qui cum modo bonis rationibus refutentur, modo acrius reprehendantur, eorum quisque se peti suspicatur, quorum nemo in mentem scribenti venerit. Evenit hoc quoque mihi cum de studio meo paucos versus de certo quoquam homine ne cogitans quidem, edidissem, professus me ἰδιοπράγμονα καὶ μισολοίδορον, ibi tum quidam in me absentem cum contumelia invectus, peracerbe mihi maledixit. Misi tum id epigramma ad amicos, credo & ad te: sin, lege modo. Quod autem tibi *Bartolinus* retulit, id ita est, & commissum sæpius haud dubie, quam ego compererim. Etenim (ut aliquando scripsi) *An a nigrore vindicatur Æthiops, Niveus nitebit, pelle gratus candida? An discolore veste nævis erutis. Certo colore Pardalis superbi et?* Hi tamen greges ducunt, & in suam sententiam, quos non putes, pertrahant,

ut

ut qui integram Medii artem perdidicerint & exercent, malo bonorum & publico. Ad epiſtolæ tuæ clauſulam venio. Eſt omnino noſtrum pro patria tua votum idem, quod tuum. Idem ſi conſuluiſſent ſociæ, cum noxia conſilia non improbarent, & arma ſubminiſtrarent: & illi ſalvi eſſent, neque nos laboraremus. Etenim non eſt deſerta prorſus academia, ſed prout ante erat, hodie ἔρημον dixeris. Rectene ſenſerim & ſentiam, cenſete. Nam vos eſtis illi boni, docti & uſu prædìti viri, quorum iudicio qui non ſtet, ſe ſolum ſapere, fruſtra credat, cum deſipiat præ aliis. Vale, Helmſt. ex acad. Iulia IX. Kal. Decembr. cIↄ Iↄc VII.

XLVIII.

ISAACO CASAVBONO.

Longiores ſive loquaciores his diebus ad te dedi, quas tibi, ut ſpero, iſtic reddet ex aliis annis tibi familiaris *Peparinus*, tuæ integritatis & eximiæ doctrinæ præco. Hunc autem ipſum, & nos & plures noſtrum ſimiles, qui cum & nos mediocris doctrinæ guſtum aliquem habeamus, ab omni certe invidia vacui ſumus, oppone quæſo calumniis: μικρὸν ἐστὶ τοῦτο καὶ καταρατον ἐρύννυον γένος. Τίς γαρ ἀνθρώπιστι λέγοι τοὺς πάνυ σκυθυστὶ καλοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τοὺς τοῦ τῶν μουσῶν κήπου μά-

μάλιστα ἐπιμελουμένους. Namque *Arnisæus*, qui tibi ſub æſtatem adfuit, me certiorem facit de neſcio quo noſtrate, qui oceanum in te maledicentiæ effuderit. Neque enim nos vidimus. Ceterum ſive ad te veniet *Peparinus*, ſive *Arniſæus*, ſive quis ex utriusque comitatu, velim ſciant ex hiſce litteris, me ſpirare & hoc eſſe, cuiusmodi reliquerint: rogari ab *Aveno*, nec minus a me, ut quoniam pater de filio numerum non habet, inquirant apud Germanos, meque quidquid erit, aut patrem doceant. De hac interpellatione veniam a te mihi dari velim. Vale, Helmſt. ex acad. Iul. IX. Kal. Decembr. cIɔ Iɔc VII.

XLIX.

GEORGIO SCHVMACHERO,
Senatori Luneburg.

Ex quo te domum retuliſti, me a te diligi, aliquoties & ex aliis accepi & ex te ipſo. Neque minus mihi hodie carus es, quam cum me ſalutatum domum meam in academia Megapolitana ventitares. Tum facile prævidi ex iis ſtudiis, quæ tum colebas, futurum te aliquanto civem, clarum & utilem patriæ. Sic autem prædicaſti: quo nomine tibi gratulor, & ipſi patriæ: cuiusmodi cives ſi nobis vicina urbs haberet, neque iſti homines, neque nos laboraremus: ſi ſint forte unus & alter, ne-

que iis plebs bonis consiliis inimica auscultat, *nec populum trahunt ad salutem publicam patroni caussarum, qui ex peritia legum se omnia recte intelligere falso suspicantur;* sed maior est hæc quæstio, quam ut brevi epistola explicetur. Quædam de his rebus citra cuiusquam contumeliam, a me scripta aliquando leges. Civi vestro M. Dan. *Finxio* has litteras dedi, viro doctissimo & mihi amantissimo, quocum nemo mihi hic quartum iam annum fuerit familiarior, & de rebus academicis & meis exponet tibi omnia; si & has & illas tibi cognoscere lubebit. Hic autem Finxius cum ornamento sit, & magno usui esse possit patriæ, si de eo ornando cogitationem suscipietis, facietis isto ordine dignum: te vero rogo, ut ipsum in notitiam a me recipias, & singulari benevolentia complectaris. Nec mihi quidquam gratius feceris, neque tua eximia virtute & doctrina dignius. Vale, Helmst. ex acad. Iul. XIV. Kal. Ian. cIↄ Iↄc VII.

L.

PETRO FINXIO, *Archiatro Comitis Frisiæ.*

Proficiscente a nobis ad te fratre Daniele nonnihil scribendum censui. Libenter autem cognosces, meminisse me veteris notitiæ nostræ, & caros esse mihi fratres Finxios: quorum

rum hoc & videbis ex mea ad Husmannum epistola, & ex ipso fratre audies. Mire enim, quibus annis nobiscum vixit, se nobis devinxit: ingenio, humanitate, doctrina, virtute & fide. Cum autem ipsius studia valde probavi, tum hoc maxime, quod in educando disciplinae suae alumno perpetuam, incredibilem & felicem operam posuit. Adolescens enim primis animi bonis ab ipso imbutus, superioribus diebus domum rediit, gratus omnino patri: nec obscure autem prae se tulit, acerbum sibi esse, quod nihil bene meritis gratiae referret. Filius enim, quidquid praedicaret, praeter bona verba a sene nihil reportavit. Verum hoc vetus est: neque ab officio boni viri talibus exemplis retinentur. Ego si utilitatem meam potissimum spectassem, pridem desiissem bene mereri de aliis. Non possum autem non hanc singularem virtutem commendare in fratre tuo, quae est certum integritatis ipsius argumentum. In vestra arte quantum progressus sit, tu iudicabis, vel ipse demonstrabit, quando rem ipsam aggredietur. Namque in disputando palmam facile obtinet: testantur alii, audivi ipse: neque tamen tibi praeiudicabimus, veterano iam & ista tractanti in dies. Etiam germanum vestrum Paulum diligimus, & certas nostrae in ipsum benevolentiae caussas habemus. Jena ad nos redierat; iretne una in patriam an maneret, deliberabat cum haec scriberem.

berem. Vale, Helmst. ex acad. Iul. XIV. Kal. Ian. 1607.

LI.

ARNOLDO ENGELBRECHT.

Petulans negotium est & obstinatum *invidia*, & ad nocendum nihil promptius. Aut fingit caussam, aut occasionem invenit. Non deest in eam intento: quod est primum signum & certum malitiæ. Ego certe in officio fuisse *Ricovinum*; arbitror: etiam crediderim, alicubi offendisse. Qui ea ætate nuspiam impingat, eum difficulter reperias. Iis litteris instructus est, ut locum denuo inventurum sperem. De iis, quæ ad te attinent, scribam propediem: intelliges & quid tibi tribuam, & quam tibi faveamus. Vale, Helmstadii, ex acad. Iul. 13. Kal. Ianuar. 1607.

LII.

MATTHIAE *von der* SCHVLENBVRGK.

Iterum designatus fuit academiæ Iuliæ Prorector gener meus D. *Theodorus Adamius* Id. Octobr. Confirmatio, quæ de more ex aula petitur, tertio demum mense allata fuit, & ita tarde reddita, ut ante natalem Domini publica renunciatio institui non potuerit. Ea solennitas, Deo volente, celebrabitur die abhinc octavo

vo (is erit dies 29. Decembr), quando cum prandio accipiendi sunt Collegæ, de eo & ipse non nihil curæ in me recipio, ut mediocre sit. Splendidum enim fieri, non finit nostra conditio. Ne nimis tenue sit, aliquid ab amicis fortunatioribus petere licere mihi in dubium non venit. Subveni igitur quæso nobis, si potes, ferina, vel *lepusculo*, vel quo genere tibi commodum erit. Solemnitatem proximam cohonestasti præsentia tua, quod si eundem honorem nunc quoque & academiæ & nobis habebis, quod optare magis, quam rogare possumus, etsi etiam atque etiam rogamus, novo beneficio nos tibi devinctos profitebimur. Vale, Helmstadii, ex acad. Iulia XI. Kal. Ianuar. cIↄ Iↄc VII.

LIII.

D. WACKER.

Me tibi etiam carum esse pridem cognovi: innotuisse autem olim de verbis *Iacobi Monovii* suspicor, qui cumprimis mihi summam humanitatem tuam, & singularem virtutem, & multiplicem reconditam eruditionem prædicaverat. Mirus enim erat ille vir in conciliandis inter se bonorum doctorumque virorum animis, cum idem tam doctrinæ, quam virtutis nomine & illis plerisque in Europa carissimus, & illorum omnium esset observantissi-

 mus.

mus: Tuam autem in me benevolentiam confirmavit vel etiam auxit *Joachimus Delius*, vir integerrimus: quam ego ipsi ex multis aliis laudibus primam tribuo. Nam ita se omnibus rebus in vita probavit, cum erga principem, cui operam dabat, tum erga eos, quibuscum amicitiam colebat: neque ulli fere rei tantopere studebat. Nec enim cum quoquam de honoribus & opibus contendebat: qui non solum regiorum mos est, sed pæne in uniuersum omnium mortalium. Hic me de tua egregia in me voluntate istinc per litteras, pluribus etiam verbis, certiorem fecit, iussitque de te si quid vellem, nihil non absque dubitatione polliceri. Ingratus sim, nisi & hoc toto animo accipiam, & te contra omni observantia colam, & maiore, si queam, quam antea, cum tui tamen essem, & *Gifanii*, qui tum in vivis erat, observantissimus: neque hoc Gifanius ignorabat, & te scire arbitror: tamen ut recognosceres, has ad te dedi breves absque ornatu, cuius studium in hanc ætatem non cadit. Ne autem prorsus essent inanes, conieci in fasciculum ἔπος de re gravi meum, quam te intelligere præ aliis omnibus de caussis oportet. Nam & hoc ingenium tuum, hic animus, ea sapientia, is usus rerum denique. Forte non longe a scopo aberraro: quod tamen indoctis, imperitis, & cupiditatum suarum magis, quam publicæ salutis studiosis minus videri, non mirabor. Id autem hactenus publicandum non

cen-

censeo, ne in aliorum odia, in aliorum reprehensionem incurram, etiam multiplicem. Videri enim placere velle velim nemini, quam veritati: neque de sententia sum sollicitus: quæ si vera est, non tam ego vicero, quam palmam obtinebit veritas; si qua ratione corrigentur, iacturæ ipse nihil fecero, quin contra, quod investigabam, verum invenero, eiusque doctioribus prodendi, pluribus cognoscendi occasionem dedero. Tua autem censura stabo potissimum: quam si mihi minus invidebis, similia ad te brevi mittam: etsi vereor, ut tibi ad hæc perlustranda in istis perpetuis & gravissimis occupationibus paullum sit otii. Imo nisi hoc ita esse certo scirem, essem hic quoque verbosior. Namque multa habeo de studiis litterarum, meæ personæ convenientia, neque indigna tuæ. Ego enim in iis docendis & tuendis ætatem iam sum: vos in isto ordine in iisdem tuendis esse oportet, caussa boni publici. Et enim litteræ omnis generis, & litterarum doctores, vestro patrocinio, illæ adversus barbariem, nos adversus duos diversarum eiusdem barbariei exercitus, quorum unus sapientiæ studia stirpitus excisa velit, alter in aliam formam translata, novis auctoribus egemus admodum. Vale.

LIV.

LIPPOLDO STRALENDORFIO, *Vicecar. Imperat.*

Etiamnum gratiam habeo Cl. I. C. Laurentio *Kirchoff*, qui tuæ notitiæ mihi primus auctor exstitit: Sæculum autem iam est, cum ex patria tua, ubi ipse tum sedem fortunarum mearum habebam, in patriam meam, per provinciam tuam iter habenti, mandata ad te daret. Ibi tum ostendisti re ipsa ita esse, quæ ille de tua humanitate & præstantia sæpe nobis prædicarat. Namque de viri litteris & domo & animo me statim acceptum ita devinxisti, ut cum me tibi carum esse animadverterem, te vicissim mihi observandum existimarem; duratque ea inter nos benevolentia in hunc diem: qua neque tibi quidquam potuit accedere, mihi autem quæsitum nihil fuit; nimirum utrique satis est, quod tu me, a quo obseruaris, ego te, a quo diliger: habeo: egoque ex longioribus amicitiis hoc solum exspectavi; neque exspecto nisi forte ut vel de studiis sapientiæ cum aliquo mei ordinis communicem, vel potentiori sive aliquem litteris deditum, sive ipsas litteras commendem: sed nunc nullo eius generis argumento utar: ex longiore intervallo tibi testaturus veterem observantiam, te anno potissimum, postquam te præcipuum honorem in senatu impe-

imperatorio gerere accepissemus. Nec vero etsi serius scribo, gratulatio tibi serior videri potest; nec eam ego coruptam verbis ad te mitto: cui studio, si incubui, tamen in eo neque valui, ut hæc vitæ meæ vespera minus valet. Quod virtuti tuæ boni favent, non ignoras, quam quin ipse semper admiratus sim, & passim prædicem, dubitare te nolim; addo hoc votum, ut præclarum & grave munus publico bono diu geras, nec ulli parti tanti oneris succumbas, cum quidem de universa Germania, tum potissimum de patria bene merearis. Iam autem summa occasio est, nominis tui sempiternæ memoriæ consecrandi: qua in re mecum certabunt, neque etiam superabunt multi. Ea autem nota sunt in hisce locis Saxoniæ, quæ qui consilio sedaverit, & magni mali incendium exstinxerit, & hoc loco salutem nobis restituerit; tam ipsi urbi tumultuanti, quam viciniæ imprudentia illius populi conturbatæ & male affectæ. Non enim dubito, idem vos iudicare quod nos ita se habere eo magis scimus, quin sentimus, & magis magisque sentimus indies. Ego vero hoc minime queo dissimulare, qui has res a puero adspexerim, & omnia probe meminerim ab annis propemodum septuaginta: quo minus dubites, ab initio belli Germanici. Pueri enim cum magna non intelligant, quæ videre & meminere, arctissime tenent memoria. Deum immortalem! quam recta & sancta erant, quæ tum

gerebantur! Puer ipse, quibus applauderem, nisi iis, quæ tum populus maiore auctoritate probaret? Etenim persuadebantur, ut in Principes coniurarent, quibus parere in omnibus an aliis quam legitimis? iustum sanctumque erat. Docerem te, nisi non solum legisses omnia in utriusque partis scriptoribus, sed etiam e senibus in *Esfeldia* auribus accepisses. Post Ducem HENRICVM, quem ego profecto *Magnanimum* dixerim, quod in extremas calamitates a potentioribus coniectus, neque animum abiecit, & emersit benignitate Dei. Abhorrebat cum natura, tum educatione, a bellicis negotiis filius. Quis enim IVLIO tranquillior? Etenim neque solum nihil movebat, sed quærebat omnia, quibus trunquillus ipse concordiam sanciret inter omnes ordines, qui & veritatis & iustitiæ & sanctitatis templum fundaverit. Quod porro referam, sancte tibi affirmo de HENRICO IVLIO: dicam de ingenio: erat decennis, quando in aulam accitus veniens, cum ille annis adhuc aliquot abesset a pubertate: audivi nulla occasione expressos sermones pueri, qui nihil nisi humanitatem spirarent & benevolentiam: meis ibi tum verbis ex animo collaudabam principem, videbaturque puerili ætate singulariter confirmatus: neque cognovi alium ab annis triginta, quibus ab eo biennium non abfui, taceo quæ gererentur hic quotidie cognovimus. Si quis esse clementissimum dubitat, aut ipsum non vidit

unum

unum diem, aut occupatus est calumniis, quæ confictæ ab hostibus & sceleratis hominibus in eum iactæ sunt. Calumniis autem, ut quisquam orbis procerum, obnoxius ipse est, qui contra ex clementia & beneficentia laudem merentur haud minorem, quam Regum potentissimi iidemque optimi. Quæ cum ita sint, uti profecto sunt, neque hoc ignorabant omnes tam Brunsuigiorum provinciæ, & noverant in oppido intelligentiores (quid enim de plebe aut malevolis loquar) fuit factum imprudenter ab illis, ne quid dicam durius, quod quanquam iuveni ullum debitæ subactionis aut observantiæ, & Principi & ἐυεργέτα neque præstiterunt, & postea qua delerent, negarunt omnia obstinate. Talium consiliorum auctores, aut expertes omnis doctrinæ & vitæ, aut probæ mentis non fuisse oportet. Sed ita fieri vetus verbum docet, ut *stultitia & malitia plærumque una habitent:* sive in uno ambæ sint, sive in pluribus, sive in omni populo, sive (forte enim & hoc fieri potest) in regno. Namque in regno, si rex minus sapiat & vacillet, & desipiant, qui a rege primi sunt, malefacere omnes, & male fieri omnia, & quodcunque boni fuit perire, & omnia immutari in aliam formam necesse est. Non ignorat orbis, certe novit omnis Germania, quod qui hic negat, eum oportet esse impudentissimum, non esse imperialem illam urbem, sed *Ducis*, *in cuius solo sita est.* At quantis cum privilegiis? quanta

ta cum felicitate? Cetera oppida, quæ ipsa *servæ* sunt. Neque de oppidulis & vicis loquar, quæ alii passim magnis laboribus parant, & cum perpetua molestia colligunt, iis ipsi potissimum fruuntur, & præ aliis in deliciis vitam agunt. Verum non ab uno sæculo refractarii, felicitatis impatientes, vix nomen Principis ferunt: quin plus conviciorum in tantam virtutem & clementiam iecere & iaciunt quotidie, quantum ne quidem quis iaceret in vilissimum &c. Helmst. ex acad. Iulia 24. Dec. cIↄIↄc VII.

LV.

IO. CASELII SATYRA
in
Vrbem Brunsuicensem
ad proxime præcedentes litteras pertinens.

Quemnam rebelles contumaciæ tandem
Vestræ, superbiæque ponitis finem?
In maximis angustiis tot annorum
Parere vos herique vivere ad nutum
Didicisse credidi, redire putantes
In semitam rectam, suoque cedentes
De iure, ne severior videretur,
Noxamque deprecantibus remissuri
Audire voces dudum oportuit: verum
Cum subditos nequam fuisse vos constat
Hoc sæculo, prioribusque maiores
Vestros, quid obtinere mirer antiquum,

Quibus malum eſt hereditarium, morte
Atrocius putare, Principi, quo nil
Humanius clementiusve obedire:
De talibus ſperare quid boni poſſim
Cives, parentum peſſimæ notæ proles,
Tot ſtirpis improbæ propagines fœdæ,
Queis ſacra dicunt iura: ius quid æquumve
Sit neſcientes. Inſtitor malæ mercis,
Aurum elaborans non ſuum, Iudicis gemmis
Dolos crumenæ divitum ſtruens: veſtem
Reſarciens, rudemque carminans lanam,
Triti refector calcei manus tetra
Pice illitus: rubigine æris ac ferri
Horrens Pyracmon ſcoriis feneſtriſque
Factis, Bohemicoque quæritans victum
Vitro: novacula ſuperfluum abradens
Crinem! virenti emplasmate unico ſanans
Periculoſa quæque vulnera: e ſaxo
Lignoque formans, aut coloribus ponens
Quidvis, viroſque beſtiaſque divoſque;
Carnes & oſſa dividens bovis cæſi,
Suumque ſemimunda ſanguine, aut pingui
Milioque replens exta: pellio, piſtor,
Propola frugum; ſordidique caupones,
Et hiſce paululum politior (namque
Diſtare multum a ceteris quis affirmet?)
Avarus hoſpes conſcientiæ prorſus
Expers, ſalutis immemor ſuæ, ſi ſit
Spes certa lucri commodique cuiusdam,
Sic repperire *in quinque curiis* inter
Tot *Conſules*, tot horridos *Senatores*

Vix unum & alterum queas loquuturum
Lingua latina, vel latina miſcentem
Vernaculis qui ferre poſſit egreſſos:
Plærosque nunquam patriæ ſuæ portas
Exiſtimes, & hortulos ſuburbanos
Putare noſtri limitem orbis extremum,
Nec ultra eos quidquam eſſe: pro Magiſtratum
Treſſem! hic tui reique publicæ curam
Gerat, perire funditusque deleri
Si vultis, abſit veſtrum ut oppidum talis
Regat (licet cur gloriemur hac in re
Non eſt) amurca, caudices, Reatini
Et plumbei & ſuperbientium turba,
Clocodiorum, ſanior quibus mens eſt,
Ac plus ſatis precamur, imperent vobis,
Sic tutiores a periculo quovis
In poſterum domi foriſque vivetis!

LVI.

GVNCELIO A BARTENSLEBEN.

Generoſe Dn. Gunceli a Bartensleben! Ad generoſitatem tuam litteras dare in animo habebam, per generoſum iuvenem *Iacobum Schenck*. Hic vero cum promitteret, ſe petitionem meam tibi coram expoſiturum, non fui propterea negligentior. Sed ſermones noſtri exemerunt mihi illud ſcribendi tempus. Non dubito autem, quin ille verba pro me fecerit, & verbo obtinuerit, quod rogamus, neque me

me excuſo de hac audacia: nullius mihi impudentiæ conſcius. Namque inferioris has quodammodo partes eſſe puto, & potentioris amici non ſolum conſilio & auctoritate, ſed alia etiam ope utatur; nedum ut tam exigua, qua *academico convivio* ſubvenire deſideret. Quin novi te ita magnificum, ut me accuſaturus negligentiæ videaris, niſi utar interdum iſta tua bonitate, quod facere nonnunquam neque me pudet, & tu quoque rectum iudicabis, qui ſi, qua re opus eſſet, ſcires, liberalitate tua petitionem meam anteverteres: ego etiam donationem tuam mea gratiarum actione antevertam. Namque quando hæc leges, vel munus ad nos miſeris, vel certum aliquod deſtinaris. Gratiis actis, quid ſecundum ſit, non ignoramus: tanti Viri præſentiam optare magis, quam rogare audemus: certo tamen generoſum *Iac. Schenck* nobis promittimus. Præſentia autem nobiliſſimorum iuvenum non ſolum nobis, ſed ipſi quoque academiæ honori eſt, quam habent nutriculæ ſuæ. Vale, Vir ampliſſime. 26. Dec. CIƆ IƆC VII.

LVII.

IACOBO DE SCHENCK.

Te iſtic pro litteris noſtris egiſſe & impetraſſe, quæ volumus, mihi dubium nullum facio. Namque & tu noſtri memineris, & generoſus

nerosus de *Bartenslebius in omnibus se liberaliter gerit & magnifice.* Neque hac de caussa quemquam mitterem: sed alia est, ut te istinc excitemus. Ex iis autem, quæ te docebo, certius & nobis pollicemur. Fuit ante Natalem Domini in aula *Cornelius:* Serenissimus secum habebat *Principem Anhaltinum Rudolphum:* cum hoc erat *Rudiger Monichow.* Hic nobis nunciavit se *convivio Prorectorali* interfuturum, si vocaretur. Eo nomine hodie quoque mitto in *Esbecanum*, quo se erat recepturus, invitatum & illum & *Iulium ab Hoim:* idem die crastino nunciabo generos. *Matth. de Schulenburg.* Hos cum æquales & tui ordinis habiturus sis, te adventurum speramus, & ut venias denuo rogamus. Vale.

LVIII.

MATTHIÆ *von der* SCHVLENBVRGK.

S. De altero benigne respondisti, & ita prorsus, uti nobis pollicebamur de tua benevolentia, modo vobis Diana propitia sit. Alteram petitionem præteriisti silentio. Id est, cur secundum scribam. Hoc cum mihi negotium relinquat gener, totus in iis meditandis, quæ ad illam solennitatem pertinent. Argumento utar ad te novo. Non enim tantum nobis gratum facies, sed & aliis hospitibus tui ordinis, amicis communibus. Proxime hac tran-

transiens *Iacob Schenck* se nobis adfuturum, peramice recepit. Etiam expectamus *Rudigerum a Monichow*, apud quem fuit in aula ante dies hosce festos *Cornelius*, per quem de hac sua voluntate nos certiores fecit. Itaque ad eum nunc quoque scribo in *Esbecanum*, cumque eo veniet *Iulius ab Hoim*. Mature autem & te & illos adesse velimus ad dictum diem videlicet Decembris 29. Hæc & generi & meo nomine scripta accipias; neque minus academiæ honorem habueris. Vale, Helmst. ex acad. Iul. die Iohan. Evang. cIɔ Iɔc VII.

LIX.

LVDOLPHO FABRICIO.

S. Gener etsi occupatus, totusque in iis meditandis & perscribendis, quæ ad futuram solennitatem pertinent, ad te tamen aliquid dabit: & minuit mihi laboris partem, quem in me susceptureum dixeram. Ille de reliquo quid fieri velit, ostendit: ego, quod abeuntem rogabam, moneo, ut quod commodo valetudini fiat, mature nobis præsto sis. Non te fugit, non fore apud nos Dionysia; nec defore tamen illum liquorem, expetitum senibus: neque vestræ ætati iniucundum aut noxium: haustum *ritu Laconico:* sermonum autem copiam vobis præstabimus: adolescentiores de musica viderint: quem & Poëta convi-

viis Deum adhibet. Exspectamus præter *Iacobum Schengk* & *Matth. von der Schulenburgk*, etiam ex Esbecano *Rudigerum a Monichow* & *Iulium ab Hoim.* Me enim per *Cornelium* prandium illud solenne denunciavit ultro, cum ante γενέθλια σωτῆρος una in aulam venisset: eoque nomine ad utrumque iterum litteras dedi. Vale, Helmst. ex acad. Iul. die Iohan. Evang. clɔ Iɔc VII.

LX.

DAVIDI HILCHENIO. *)

Ex quo motus iste *in Polonia* exortus est, varia allata sunt, & incerta plæraque: neque in hanc diem, quis istic rerum status, compertum habemus: alia enim fama aliam tollit; neque adhuc quidquam constanter affirmatur. Sopitum tamen dissidium, sive διχοστασία, plerique aiunt sive suspicantur; affirmat quos ego audierim, nemo: *nihil concordia regno optabilius*: ut certa omnia cognoscam, tuas litteras expecto, quas eo magis desidero, quod neque a te quidquam, tam multis iam mensi-

*) De huius patre, filio cognomine, eiusque familia & incrementis amicitiæ cum eo contractæ, vide prolixam admodum *Caselii* epistolam Idib. Apr. 1604. ad nostrum Davidem Jun. in collectione Fuchtiana epistolarum Casel. ad nobiles viros p. 234. seqq.

menſibus, neque ab aliis allatum eſt, neque de te, neque de rebus Zamoſcianis. Neque vidi, quomodo quid ad te mitterem, quod certe in manus veſtras perveniret: quin de his dubito, lecturusne ea ſis, an ipſa in via peritura. Itaque nec alia mitto, neque de iis ſcribo, quæ in aliorum manus incidere nolimus, ut ſunt ſermones, etiam de rebus leviuſculis familiarum. Etiam in valetudine non firma admodum ſcripſi alia atque alia: nihil edidi, nec potui, quod tria præla totum fere annum occupantur *exprimendis voluminibus*, quibus demonſtratur ius, quod habet Dux in urbem refractariam (*Brunſuigam*). Hiſtoria hæc non eſt epiſtolæ, neque omne ignoras. Non autem fuere in maiore certioreque periculo quam nos fuimus, neque dum ſpes eſt pacificationis ſiue conciliationis. Dicitur negotium reiectum in *comitia Imperii*, quæ hac bruma agi coepta ſunt. Etſi de hoc etiam alii aliter ſentiant, *neque bellum* eſt, neque id nunc metuimus, *neque pax* eſt, neque iam confidenter ſperamus: *neque induciæ* ſunt, ſed intervallum ad latam uſque ſententiam, quod tempus in foribus eſſe putent, in oppido non vigere mercimonia, & incipere egere multos, noſtrum nemo dubitat, ipſi queruntur, & aſſerunt, qui inde ad nos quotidie veniunt. Dum hæc in ſuſpenſo ſunt, non frequentatur academia ut ante. Nec enim, qui gliſcente tumultu ante biennium ceſſerant, redeunt, paucos præter e

vicinia: neque prorsus ex longinquioribus locis adveniunt, metu belli deterriti: accessit autumno contagium pestilens, quod cum hinc inde per plures Germaniæ locos serperet, huc non irrepit. Ita sit, ut non sint nullæ iuventutis eruditæ reliquiæ, neque prorsus vacent auditoria. Ad me redeo: emersi autem gravi admodum morbo; sane erat illa plurium dierum febris sub Kal. Iun. Habeo necesse mihi hac ætate parcere secus, quam ipse velim. Tamen ubi cognovero res vestras, & sciam, quo, quando, per quos mittam, aliquid his impendam huic scribendi officio. *Cannius* Herbipolin venisset, itemque *Faresbachius* me excitabant ad scribendum, iamque ibant ultro citroque litteræ, id studium interrupit *pestis*: quæ ex illo loco illos abegit alio, uti ad me Noriberga amicus scripsit. Cannium cum suo illustri hero concessisse in vicinum oppidulum Tettelbachium: scribent, credo, nisi se ulterius amoverent. Vale & quoque modo fac, ut res vestras non ignoremus in perpetuum. Vale, Helmstadii, ex acad. Iul. 6. Kal. Ianuar. 1607.

LXI.

IOANNI CORFINIO, *Consuli Rostoch.*

Quas dedisti ὑφάντι non ita multis diebus ante mihi e navigatione rediens reddidit. Eius stultitia in perferendis ultro citroque litteris

ris usui est: novum iter, ut familia narrat, in animo habet: hæc alia mihi erit scribendi occasio, f - - tque promissum tibi pridem destinatam iamque ad finem perductam lucubrationem: neque dum descriptum erat volumen, neque uno die describi potest. De argumento indicium me tibi fecisse, arbitror. Ἐν ἀοχνίᾳ enim modo hæc modo alia circumspicio: considerabam statum rerum præsentium, turbatarum pæneque perditarum, in hac præsertim vicinia: cogitabam de dignitate & officio Ordinum Imperii, præsertim *civitatum:* quarum cum non esse multas, quæ cum semetipsis maiores esse gestiant, facessant sibi & aliis negotium, viderem, & *de harum & imperialium officio*, non solum a me inventa, sed potius ab aliis viris prudentissimis, ad publicam salutem omnia referentibus, accepta, neque subito, neque negligenter *consignavi*, quæ fortasse olim plus auctoritatis habebunt, & non utilitatis nihil afferent. Hanc coniecturam inde facio, quod si ea animadversa servataque fuissent, in gravia incommoda quædam urbes non incurrissent: nobis vicina minime, quæ sua imprudentia sibi nihil lucri fecit, multos in vicinia perdidit: etiam constat, civium multorum fortunas attenuatas, aliorum eversas: quod certo cognovimus, neque queunt dissimulare ipsi. In quadam epistola te legisse utrinque edita commemoras: hoc autem fundamentum stare non potest, etsi sophistæ quidam ponere

ausi fuerint, esse πόλιν αὐτοκράτορα. Vestram ego beatam prædico, quæ viros habet & probos & doctos, & usu rerum confirmatos: adeoque hic γραμματοφόρο aiebat, *Scharfenbergium* in Quatuorviris esse, id est, ex collegis tibi proximis. Velim & ex me vetere amico & mihi percharo salutem dicas, itemque *Gryphio*. Quæ de facinorosis hominibus scribis, ad eundem pæne modum exposuerant & alii: nobis fecisti pergratum, quod narrasti pleraque plenius: & illum architectum sceleris noveram; nihil erat adolescente petulantius: sine caussa iterum atque iterum excurrerat in Italiam: noveram & patrem senem non illepidum, & favum, & frugi, uti res postulabat: factum autem divinitus, ut ille priusquam regem irritaret, perierit e vestigio, sive in ipso vestigio; ut perierit, nemo narrat. Homo festinabat & occupata erat domus, quod gener cras Collegis prandium dabit solenne, quando renunciatur ἀκ. δημιάρχης. Designatus autem cum fuisset Idib. Octobr. unius parum amico consilio, quod legitime decretum fuerat, in dubium vocatum, & frustra ductum fuit, ultra brumam. Vale, Helmst. ex acad. Iul. IV. Kal. Ianuar. ineuntis 1608.

LXII.

LXII.

LVDOLPHO FABRICIO.

Hoc ipſum de aliis bene merendi ſtudium dignum eſt quovis homine, præcipue autem dedito litteris, quæ cum humanitatis appellantur, ipſo nomine hoc nobis imperant. Per autem pauci illud colunt, quod cum non vacet moleſtia, tum importat parum utilitatis. Hanc ſi non expetimus, illam tamen non abs que cauſſa declinamus, quantum poſſumus: Omnem enim non poſſumus, quod qui omnem velit, ipſum officium omittere neceſſe habet, quod hoc nunquam conſiſtit abſque omni moleſtia. Hæc eo mihi veniunt in mentem, quod facilitas mea ſive promptitudo, fraudi mihi ſæpe fuit, ferens curas ſimul & incommodi plus, quam res mea pateretur, quod ego hodie ſero & fruſtra queror, quam mihi pedem referre, ſive modum ponere huic rei hac ætate non licet amplius. Quod familiares non nolim animadvertere, etſi pauci admodum in hanc partem peccant. Te laudo, qui gratificaris aliis, nec infeliciter hactenus. Namque Juvenis generoſus cum videret, quam tuas res negligeres, cum illi præſto eſſes, tibi plenas gratias referet: iamque hoc agit, cum & naturæ bonitate ſit præditus, & ita inſtitutus, & in his moribus ſe confirmet, denique habeat, unde bene aliis faciat, & quibus quid debeat intelligat: Hic quoque iuvenis vide-

videtur non ingratus in te futurus, teque, uti video, colit: quod quemadmodum de ipso meritus sis, non solum ipse mihi prædicavit, sed ego quoque perspexi. Hoc ut scirem, hesternum diem ipsum apud nos detinui. Recte autem etiam observat *Schenkium*; in utroque a nobis abeuntem verbis meis confirmavi: ostendens, quantum boni ex vestra consuetudine adeptus sit, & adepturus porro videtur. Velim fratrem etiam tuum, idem considerantem consuetudini se magis dedere eorum, quibus ipsum esse familiarem iussisti. Longe plurimum consuetudo in utramque partem potest, unde constituit *Euripides*, ad alterum cognoscendum satis esse, si cognoveris, cuiusmodi quis utatur familiaribus. Vale, Helmstadii, ex academia Iulia prid. Kal. Ianuar. ineuntis cIↄ Iↄc VIII.

LXIII.

ZERNEMANNO.

Neque sinit me uti silentio, qui tuas attulit, neque respondere plenius bidui occupatio. Heri enim præbuit epulum Collegis ἀκαδημιάρχης gener meus, neque nullus illorum hospitum est domi meæ. Igitur me breviorem esse oportet, & te huic brevitati veniam dare decet: etsi nunquam fere tuam ubertatem assequor, neque etiam affecto; tamen ad tuas respi-

ſpiciens, proxime ſcribam non paulo uberius. Non ſunt autem de nihilo querelæ iſtæ: verum quid facias, cum ſæculum ſe non accommodet uni atque alteri, ſed obſtinate idem eſſe perſeveret. Nos igitur morem gerere præſenti ætati par eſt & quando ut volumus res noſtras inſtituere non poſſumus, inſtituamus, ut poſſumus. Tu eam artem tibi paraſti ab adoleſcentia, quæ ſi ea uti velis, neceſſaria tibi non negabit. Neque enim moleſtius, quæ neceſſario cauſſas agenti ſubeundæ ſunt, fugies, etiamſi in diverſis ſtudiis eſſe malis κάλλιον μὲν τὸ φιλοσοφεῖν τὰ δὲ τὰ ἐπιτήδεια ζητεῖν τῶν ἀναγκαίων. Itaque hac inclines, dones aliud conſilium commodo tuo capies. Vale, Helmſt. ex acad Iul. prid. Kal. Ianuar. ineuntis 1608.

FINIS EPISTOLARVM CASELIANARVM.

LXIV.

CONRINGIANA EPISTOLICA

EX LITTERIS

HERMANNI CONRINGII

AD

SERENISSIMVM

DVCEM BRVNSVIC. LVNEBVRG.

AVGVSTVM

EXCERPTA.

I.

Si ſpectemus fortunam eccleſiæ ab initio usquæ in hæc tempora, obſervare fuerit, nunquam ea fuiſſe eccleſiam felicitate, ut in uſu publico ſtterit aliqua *verſio V. aut N. T.* quæ omni ex parte ſeſe recte habuerit. Græca LXX. intrepretum verſio ab Hebraico multum diſcedit, quod iam olim S. Hieronymus conqueſtus eſt, nec *vulgata verſio* ſatis accurate ex hebraico & græco expreſſa. *Lutherus* noſter novam dedit verſionem germanicam. Ipſe vero illam ſæpius mutavit, quamdiu vixit, quod

quod certissimo est iudicio, fatente ipsomet Luthero, ecclesias germanicas tum temporis non habuisse versionem in usu, quæ omni ex parte fuerit perfecta.

2.

Scotus ille, nescio quis, videtur mihi delirare; promittit inventionem *novæ linguæ* & quæ sit omnibus hominibus communis, & hoc ipso existimat, novam methodum scientiarum prolaturum in lucem: quasi vero nova opus sit lingua, cum utique linguarum habeamus plus satis.

3.

Supplementa MSta *historiæ Thuani* nunquam edita sunt. *Hugo Grotius* legatus Suedicus ad regem Galliæ, vir plurimæ & inusitatæ eruditionis, ideoque vere *magnus*, inspecto codice authentico Thuani, excerpsit hæc ipsa, cum in Gallia degeret, & oræ sui codicis historiarum Thuani adscripsit, ex illo rursum excerpta ad nos in Germaniam denique pervenerunt. Sunt autem digna, quæ descripta adiungantur operi historiarum Thuaneo. *)

4.

Nivem sexaugularem sive forma stellari esse, primus quod equidem sciam, memoravit *Io. Keplerus*, ille magni nominis Mathematicus,

&

*) Prodierunt hæc supplementa in lucem Amstel. 1663. 12. cura ABR. WIQVEFORTII, sub tit. *Thuanus restitutus.*

& Copernicanæ doctrinæ de motu telluris defensor. Edidit de hoc argumento breve opusculum in forma octava, tit: *De nive sexangula.* b) Caussam refert in singularem vim formatricem & plasticam facultatem, quæ solet in plantis & animalibus corpora variis modis formare. Ceterum illæ plantarum & animalium partes variis modis formantur propter varios usus: qua de caussa & artificialia etiam corpora quammulta suis propriis figuris constant. Nivem autem esse opus animatum vel plantæ instar, neutiquam est verosimile. Itaque caussa alia videtur esse quærenda, & quidem illa, quæ facit, ut crystalla & adamantes omnes itidem figura sexangulari, & salia varii generis, ut & alumen & lapides diversis constet figuris: imo quo fit, ut omnis gutta aquæ aut olei aut argenti vivi sit figura rotunda & globosa. Id quod mihi videtur tribuendum centro gravitatis cuiuslibet corporis proprio: ad quod punctum corpora fluida dum concrescunt sese contrahen-

b) Quæ huius formæ sexangularis sit caussa, maxime obscurum est, explicatuque difficile semper visum curiosis rerum naturalium scrutatoribus. Vid. Th. *Bartholinus* de usu niv. med. c. 5. Erasm. *Bartholinus* lib de figura nivis; *Cartesius* lib de meteoris c. 6. aliique plures, quorum sententias collegit, & quid roboris iis insit, dispexit Gothofr. *Voigtius* tr. contra niv. alb. sect. 3. corol. 5. Conf. *Bechmanni* systema physicum l. 3. c. 4. ubi etiam Gassendi & Kyperi sententiam adducit.

trahentia præ varia materiæ natura accipiunt nunc figuram rotundam nunc angulosam, & quidem angulis variis. Est hæc doctrina perquam obscura & a paucis tacta. Quin imo egregia quidem, nulli tamen certæ demonstrationi innixa.

5.

Io. Henr. *Hottingerus* Helvetius est, & ob incomparabilem orientalium linguarum peritiam, simulque inusitatam industriam, hodie in universi eruditi orbis admiratione.

6.

Henricus Bangertus, vir supra fortunam scholasticam doctus & sedulus, curavit edi *Helmoldi* chronicon Sclavicum, quod usque adeo diffundit sese in laudes *Henrici Leonis*, idque cum notis luculentissimis. Parat ille nunc editionem *historiæ Lubecensis*, quam ut susciperet, ipse auctor fui.

7.

Distinguunt Iudæi *præcepta divina* in affirmativa & negativa, ex vario modo, quo leges illas Deus scripto tradi fecit. Qua ratione præceptum est affirmativum: *honora patrem & matrem;* negativum: *non occides.* Inter eos, qui Iudæorum in classe creduntur præcepta istæc omnium optime illustrasse, est *Moses Kotzensis* aut *Mikotzi*, cuius liber inventu rarissimus.

8.

Conr. Dinnerus valuit græci carminis pangendi facultate, iuvitque illud studium libris ali-

quot

quot editis, quando iam Professorem iuris Altdorffii ageret.

9.

Conscripsit *Leo Allatius*, qui hodie bibliothecæ Vaticanæ est præfectus, de libris ecclesiasticis Græcorum singularem libellum, lectu dignum: quemque proinde non dubito anteferre eiusdem spisso volumini de concordia ecclesiæ græcæ & romanæ.

10.

Theatrum chronologicum MStum Pauli *Rikemanni* censuræ meæ oblatum fuit. Pervolvi illud diligenter, observavique insignem quidem auctoris industriam: nihil vero deprehendi, quod non in iam tum publicatis passim chronologicis libris abunde reperitur. Nolim tamen laudi, quam meretur diligentia auctoris, quidquam hac mea sententia detractum. Prodit enim opus, auctorem fuisse historici studii cupidissimum cultorem, simulque nec ab ingenio nec a iudicio destitutum, quales in Canonicorum & vicariorum ordine perquam esse rari solent.

11.

Wierus haud immerito fuit suspectus magiæ. Primum, quia aliquamdiu amanuensem egit famosi illius magi *Henrici Corn. Agrippæ*, eius summa familiaritate & contubernio usus. Secundo, quia non tantum omnium librorum magicorum diligens fuit lector, sed etiam defensor sagarum adversus, supplicia commerita.

His

His sane de caussis etiam *Bodinus* libello *de lamiis*, quem adiunxit suae magnorum daemonomaniae, non dubitavit Wierum magiae postulare: cuius tamen etiam ipse post coepit esse suspectus. Vtrum vero Wierus fuerit talis, an vero per imprudentiam susceperit infamis causae patrocinium, non equidem dixerim: quoniam in Batavis & alibi, multi viri docti & pii, Wieri sententiam pari imprudentia amplexantur.

12.

A *Christophoro Browero* Iesuita conscriptam esse historiam Trevirensem, sed quae, simulatque pars prima fuit typis excusa, sit curante Archiepiscopo Trevirense statim auctoritate publica suppressa, ita ut ne quidem ulla spes supersit, reliqua proditura in lucem, idque quoniam iudicio Archiepiscopi & Capituli, historia illa urbi magis, quam Archiepiscopo visa est favere a fide dignis & harum rerum peritis intellexi. *)

13.

*) Circa finem saeculi XVI. prodierant instinctu & sumtu urbis Trevirensis *Annales Trevirenses*, auctore *Guil. Kyriandro*, syndico Trevirensi; in quibus monstrabatur, Augustam Trevirarum esse urbem imperialem liberam, nec fuisse subiectam Electori Treverensi. Elector itaque *Browerum* incitavit ad refutandos eos aliis annalibus, qui tamen per XXIII. annos in MSto remanserant, donec anno superioris saeculi

13.

Duo illa volumina artis auriferæ magni ſunt nominis: ſed quoniam omnis illa ars magis eſt auriperda, quam aurifera, fortaſſis & libri illi minoris fuerint exiſtimandi.

14.

Abrahami Gorlæi, antiquarii nobiliſſimi, præclarum profecto hoc opus eſt de *annulis.* Quamvis enim eiusdem argumenti prodierint & Romæ non adeo pridem libri duo, numero gemmarum ditiores, longe tamen illi elegantia imaginum ab hac Dactyliotheca ſeparantur.

15.

Per quam doctus eſt libellus *Pomponii Gaurici* (de ſculptura) fratris Lucæ Gaurici famoſi Aſtrologi. Eſt autem hic ille Pomponius, qui principis feminæ amore inſano captus, ſtultæ libidinis pœnam meruit capitalem.

16.

Pervolvi libellum, quem *de mulierum lavatione* inepte inſcripſit *Conradus ab Anten.* Non ille

culi XVI. prelo ſubiicerentur, Treviris & Coloniæ apud Bernard. Gualterum. Statim autem ſupprimebantur, iniuncta *Iacobo Maſenio* eorum emendatione & continuatione. Vtriusque opera tandem prodierant Leodii 1671. II. Voll. fol. Caſtrata autem eſt hæc editio nec Maſenius ſingularia addidit. Vid. SVERTI-CIS in Athenis Belgicis p. 176. *Bibliotheca Soc. Ieſu* Phil. ALEGAMBE p. 139 ECCARD de ſtudio etymologico linguæ germ. p. 148. CATALOGVE des principaux hiſtoriens p. 148.

ille probationem, quæ instituitur per aquam frigidam, defendit, sed magna animi vehementia impugnat.

17.

Literas Henrici Ernstii ante biduum tradidit Simonis Paulli Theologi Rostoch. nepos, & *Simonis Paulli* Prof. medici Hafniensis filius, iam tum ipsemet constitutus Anatomes in academia illa Professor, iuvenis egregius. Illi propositum est, Wolfenbutelum abire, tantum lustrandæ *Bibliothecæ Augustæ* caussa: admiratione, ut ipse fatetur, eius ubique terrarum iam excitata. Videtur illi ab ipso rege commissum, ut serio inquirat in illa a me prædicata AVGVSTAE admiranda: quoniam cum sint inusitata, fidem vix inveniunt. Ego ipsi auctor sum, ut nihil non indaget: quo & libro meo fides constet.

18.

Speculum lapidum *Camilli Leonardi* iam tum legerem aliquando: quia tamen inventu rarum est, hactenus in possessionem meam non pervenerat. Qui autem additus est speculo isti libellus *Petri Arlensis*, nec visus nec auditus mihi est hactenus. Vterque vero plenus est *magiæ* eius, quam *naturalem* vocant; qualis etiam est *Alberti Magni* liber de *lapidibus*. Iam tum olim enim, quemadmodum ex Plinio constat, veteres magi stupendas virtutes *lapidibus* tribuerunt, si illis præsertim fuerint signa quædam, singularibus adhibitis ritibus, insculpta.

19.

Cum *Fortunio Liceto* fuit mihi commercium literarium, imo & disputatio de natura calidi innati. Fuit vir laboriosissimus & plurimæ scriptionis. Plerumque eius operum catalogus additus est operi de *lucernis antiquorum*. Contra ea, quæ disputavit de spontaneo viventium ortu, sunt a me iam dudum nonnulla disputata in libello *de formarum origine:* neque nunc etiam possum illius sententiæ accedere: opus tamen est plenum multæ eruditionis.

20.

Isaaci opus medicum adeo rarum est, ut quantumvis a me diligenter quæsitum, nunquam inciderit in manus meas: estque nonnisi semel editum, perdoctum tamen.

21.

Scholtzius collegit Ioannis *Cratonis*, medici Cæsarii celeberrimi, epistolas & consilia & aliorum nonnullorum: de suo nihil addidit. Opus ipsum præstans est: & hoc nomine artem medicam facienti semper mihi fuit carissimum.

22.

Guilielmi Kyriandri commentarius de *Augusta Trevirorum* opus est eruditum, & eleganti stilo, præter morem iuris Doctorum, exaratum, rarumque inventu.

23.

Menologium, quod secundo tomo antiquæ lectionis *Canisius* inseruit, alibi, quod sciam, hactenus editum non est: respondet autem mar-

martyrologiis romanis, quorum unum publica demum auctoritate papali est editum & commentario docto illustratum a Card. *Baronio*. Est autem epitome quaedam Memaeorum voluminum duodecim, quae, non minus fabulosis historiis scatent, atque *Jacobi de Voragine* legenda aurea, quae appellavit. Et vero in fabulosa martyrum & sanctorum historia condenda Graeci Latinos praeiverunt, ceu apparet vel ex *historia Lausiaca Palladii*.

24.

In aula Danica hodie agitur de *Gauberto* in Daniam evocando, ad munus concionatoris aulici germanici & Professionis Theologicae. At non sine studiorum Academiae damno illud quidem fiat. Eoque non desinam quidem obniti, & quantum in me est curare, ne vir adeo praeclarus Academiam Iuliam relinquat.

25.

Praeter *Helmoldum* a nemine veterum pari fide & candore res Slavicae populorum trans Albim, & in eos cum merita tum vires *Henrici Leonis* ad posteritatem sunt memoratae.

26.

Praestitit in *Helmoldo* illustrando *Bangertus* egregiam operam, vir graece, latineque doctissimus, summaeque industriae. Cepit idem, senatu iubente, iam tum conscribere historiam urbis *Lübecensis*, facta luculenta commemoratione Henrici Leonis, ut qui primus urbi illi felicitatem aliquam conciliaverit, cumprimis

condito ibi Episcopatu, & structa cathedrali illa magnifica æde. Verum illi scriptioni magnam hodie moram iniecit civilis in urbe istac discordia, quæ nisi sopiatur, forte non est, quod historiæ illius editionem speremus.

27.

Tuo beneficio licuit mihi perlustrare opus illud epistolicum *Nic. Reusneri*. Merito sane laudanda est singularis industria tam eximiæ collectionis, & quidem in argumento publice utilissimo. Quandoquidem vero ab eodem Nic. Reusnero editum etiam est opus *orationum & consiliorum contra Turcas*, a viris prudentibus conscriptorum, rogo Te iterum, illius etiam voluminis perlustrandi gratiam mihi facere digneris.

28.

Scipionis Claramontii vita, in quantum illa abs me poterit colligi ex illius scriptis, a me enarrata est in præfatione ad lectorem, operi abs me edito præfixa. Videtur defunctus anno 1653. ætatis suæ anno octuagesimo octavo, viribus animi satis integris, quemadmodum apparet ex scriptis, illa senili ætate editis. Italus est, natus *Casenæ* oppido Pontificiæ ditionis, equestri familia nobilissima. Videtur omnem omnino Philosophiæ partem excoluisse scriptis suis: sed illorum paucissima videntur edita, & quidem extra Italiam Coloniæ Agrippinæ opus eximium, quod *de universo* inscribitur, & alterum Amstelodami, cui titulus: *Supplemen-*

tum

tum Anti-Tychonis. Reliqua in Italis edita sunt, plerumque argumenti mathematici, sive potius astronomici.

29.

Magna intercessit *Fulvio Vrsino*, cum *Antonio Augustino* Romæ inita propter studiorum æqualitatem necessitudo. Hinc adeo factum, cur Anton. Augustini multa a Fulvio sint edita & notis illustrata; ea tamen duntaxat, quæ ad romanas antiquitates attinent, quarum *Fulvius* perquam studiosus fuit; *Augustini* eruditione ad alia quoque pertingente, quæ non venerunt in Fulvii curam. Hinc sane Fulv. *Vrsinus* suscepit commentario illustrare, aut potius emendare *fragmenta historicorum veterum Latinorum*, ab Antonio Augustino collecta. Notis item ornavit Ant. Augustini præclarum illud *de legibus & Senatusconsultis romanis* opus: addidit porro suo *de familiis romanis* immortali operi Ant. quoque *Augustini* de eodem argumento collectanea. Ceterum Antoniani operis de legibus optima est editio illa Parisiensis in folio. Neque vero illa Lugdunensis in quarta forma meretur cum altera isthac comparari. Sed & illa de familiis romanis & Fulvii & Augustini splendidissime, a *Carolo Patino* edita sunt Parisiis cum imaginibus nummorum romanorum consularium; ubi omnia simul sunt integriora.

30.

Commentarii *Ant. Augustini* in antiquam collectionem Decretalium sunt plane eximii & a me diligenter lecti. Fuit scilicet Augustinus ille peritia antiqui iuris canonici pariter & civilis Romani longe peritissimus, & nulli temere secundus. Publicatæ sunt eiusdem emendationes decreti Gratiani & Pandectarum, & quidem horum ad exemplar inscriptum, quod omnium est antiquissimum, & habetur Florentiæ in bibliotheca medicæa. Verum illi libri Augustiniani & rari sunt & perquam cari *), adeo ut magnitudine pretii deterritus fuerim ab iis Lutetia curandis; hic enim, quod sciam, nusquam comparent. Editæ præterea sunt ab eodem Augustino *libri poenitentiales* antiqui

*) ABRAHAMVS WIELINGIVS in *Jurisprudentia sua restituta* Amstelod. 1727 typis expressa, triumvirorum illorum, nimirum Jac. *Labitti*, Ant. *Augustini*. & Wolfg. *Freymonii* in iuris Justinianei Corpus indices methodo commodiore adornatos & multa luce circumfusos recudi fecit, novos indices illis addidit, notisque doctissimis totum opus illustravit. Vid. recensionem eius in actis erudit. Lipf. 1727. mens. Augusto pag. 359. & B. BRVNQVELLI proluf. academ. *de Digestis secundum indicem legum Jac. Labitti aliorumque* κατὰ πλάτος *&* *verbotenus excudendis*, Göttingæ, 1735. 4to.

tiqui & doctiſſimis notis illuſtrati: eſt autem & hic liber rariſſimus inventu.

31.

Carolus Patinus mihi videtur operis Fulvii Vrſini de familiis Romanis nova editione ſaltim eo bene de republica litteraria meritus, quandoquidem eius prima editio dudum deſiit inter manus hominum verſari: imo in paucorum bibliothecis ob exemplarium raritatem ſupereſt. Addidit tamen quædam & hic Patinus Fulvio numiſmata cum inſigni commentario: omnia vere luculentiora & ſplendidiora reddidit. Id miror, nuſquam ab illo memorari *Abrahamum Gorlæum*, qui plurimos nummos conſulares, Fulvio Vrſino indictos ſingulari opere edidit, ex quo proinde magna potuiſſet acceſſio fieri. Videtur opus illud Gorlæi Patino non fuiſſe viſum. Et vere opus illud eſt rarisſimum inventu.

32.

De *Hiddone* Friſio, eique olim ob res præclare geſtas conceſſa ad Albim parte agri, ibique exſtructa arce cognomine, memini me legere integro Cap. VI. Lib. III. agentem *Cornelium Kempium* in libro de origine, ſitu, qualitate, & quantitate Friſiæ, Coloniæ edito, magnitudinis octavæ anno 1588. Qui tamen indubie fallitur in eo, quod exiſtimet, agrum Hiddoni conceſſum a Duce Brunſuicenſi, cum res Hiddonis vetuſtate ſuperent originem inclyti Ducatus Brunſuicenſis, atque adeo a Duce

Saxoniæ quodam facta concessio illa sit oporteat.

33.

In libro primo de bibliotheca Cæsarea *Lambecius* potissimum occupatus est in exponendis caussis sui Hamburgo discessus, nec tamen vel verbulo tangit ulcus domesticum, de *uxore* scilicet, quam divitiarum spe duxerat quidem, sed iis ab avara femina exclusus & simul contumeliose habitus ad desperationem denique est adactus. De ipsa re bibliothecaria habet pauca. Bibliothecam Budensem indubie idem celebrabit. Fuit illa quondam refertissima manuscriptis codicibus græcis: qualis nunc sit, docebit dies. Id dignum observatu, quod conqueratur Lambecius, *Bibliothecam Cæsaream* domicilio incommodo haberi, & hactenus pene neglectim tractatam esse. Quidquid sit, multis modis Augusta illam superat, nisi quod numero manuscriptorum veterum Cæsarea forte sit potior.

LXV.

EPISTOLA I. I. MADERI

AD

SERENISSIMVM AVGVSTVM,

DVCEM BRVNSV. LVNEB.

Sere-

Serenissime Princeps,
Domine Clementissime!

Serenitati Vestræ ea, qua debeo, subiectione ac humilitate DO, DICO, CONSECROQVE promissam dudum Chronicorum farraginem, præter gloriosissimorum Maiorum Vestrorum, veterum etiam Misniæ Lusatiæque Marchionum, integris ferme duobus a nato Christo seculis, undecimo scilicet & duodecimo, res præclare fortiterque gestas, comprehendentem ut & Saxoniæ quondam & Sommersenburgi, Palatinorum, qui non exiguum terrarum tractum ab utraque parte fluvii Missau, etiam ubi Scheninga hæc vestra, Helmstadium ac Mariæ-Vallis est. ante quingentos circiter annos possedere, usque dum stirpe illorum mascula plane extincta fortissimus heros, HENRICVS, LEONIS cognomento condecoratus, portionem terræ huius suæ adjunxit ditioni, ceu in ipsa ad Lectorem præfatione quoque volui indicare. Et vero ut Serenitas Vestra laborem hunc qualemcunque a me præstitum, cum multorum, ut spero, antiquitatis amantium utilitate coniunctum placide suscipiat, meque ac studia mea solita gratia complectatur, subiectissimo studio Eandem etiam atque etiam rogo. Certe id mihi polliceri videtur incredibilis Vester erga rem litterariam affectus, quem insigniter testatum facere,

etiam in huius libelli editione volui, dum Serenitas Vestra non tantum publica luce ipsum dignum sapientissime censuit, &, ut tanto ornatior prodiret, monumento ante laudatorum Misniæ Marchionum ceri inciso me gratiosissime beavit, sed & Augustissima ex Bibliotheca sua, illo Orbis miraculo, duabus vicibus, unum atque alterum historicum clementissime indulsit, ut quæ edita ex parte de postremis duobus Chronicis erant, cum hisce nostris possent conferri. Quam sane benignissimam Serenitatis Vestræ voluntatem, quanquam digne satis verbis exprimere non possim, non destiti tamen in memorato ad lectorem Prologo subinde laudibus extollere: atque in posterum quoque prædicare haud desistam, quamdiu spiritus hos reget artus. Neque enim hic terminabitur, DEO volente, hoc, cuiusmodi etiam est, studium meum, bono publico pro parte virili iuvando semel dicatum, præsertim si, quod Serenitatem Vestram humillime precatus sum nuper, in *celeberrima Iulia Vestra Historiæ Ecclesiasticæ* obtingere mihi posset utilissima Professio: cuius gratia etiam nunc Serenitatem Vestram supplici voce imploro. Quanquam enim cum Theologorum celeberrimis, qui provinciam istam hactenus ibidem summa cum laude tractavere, comparare me nec possim nec velim; industria tamen, DEO cooperante, perficerem, ne tantæ Serenitatem Vestram in me benignitatis unquam queat pœnitere.

tere. DEVS ter opt. max. cui rem omnem ardentibus precibus commendavi, inſpiret Serenitati veſtræ, quod Eccleſiæ ac reipublicæ hac in parte erit ſalutare, Eandemque omnibus omnino corporis, animi ac fortunæ bonis beatiſſimam, quam diutiſſime florere faciat, quo terræ ampliſſimæ ditioni. Eiusdem ac poteſtati ſubiectæ, ſub Serenitatis Veſtræ potentisſima tutela, porro vigeant, floreant. Eaque in illarum obedientia ac proſperitate æternum gaudeat ac feliciſſime regnet.

Serenitatis Veſtræ

Scheningæ
XXVI. Septembr.
Ao. clↄ Iↄc LXV.

Subiectiſſimus obſequentisſimusque

IOACHIMVS IOH. MADERVS.

LXVI.

EPISTOLA PATINI

AD

SERENISS. DVCEM AVGVSTVM.

Sere-

Serenissimo Celsissimoque Principi,

D. D. AVGVSTO

BRVNOVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCI,

Domino meo clementissimo,

CAROLVS PATINVS.

Librum meum de *Familiis Romanorum* Tuæ Celsitudini offero, nec alia ratione melius Serenissimum Principem salutare licet, qui a primis usque annis ad hanc ætatem, in qua plerique otiari solent, pari vigore populos moderatus est, vacavitque litteris. Scilicet cum sis annorum honorumque plenus, nulla alia ratione crescere potes, quam si quotidie novi aliquid audias, quod addas immensæ huic rerum scientiæ, quam partim discendo, partim experiundo consequutus es. Fuit hæc fama, quæ longe lateque sparsa ad me usque penetravit, ut auderem ad te hocce, quodcunque libelli est, mittere, non quidem, ut aliquid ex eo disceres: neque enim aut tuæ est doctrinæ, aut mearum virium: sed ut ea recognosceres, quæ Te olim ita declararunt, ut partem eorum, hoc est eam, quæ virtuti maxime consonat, etiam imitando superaveris. Id iucunde facias, opto, spero quidem certe. Quod ad *Fulvium*

(*Ursi-*

(*Vrsinum*) attinet, mea autem si non aliud; saltem studium meum & observantiam erga Te meam testabuntur. Vale.

Lutetiæ Parisiorum

Kalendis Aprilis M. DC. LXIII.

LXVII.

BINAE EPISTOLAE
MART. NESSELII.
PRIOR

AD

AVGVSTVM
DVC. BRVNSV. ET LVNEB.

Sereniss.

Nemo mortalium vixit unquam, qui scientiam sibi arrogare posset modi rationisque, qua vitæ suæ curriculum conficere, quibusque vel prosperis oblectari, vel adversis conflictari per ætatis tenorem debeat. Involuit hæc talia densa nube, quinimo caliginosa nocte premit solus rerum futurarum cognitor Deus. Non est autem præsentis instituti, rei huius causas quærere solicite; quæ dari quidem, & satis speciosæ ac plausibiles, ut vocant, possunt. Summa sapientiæ humanæ est, & perfectio certe

certe quædam, si vera loqui volumus, in voluntate DEI, quæ optima semper est rebusque nostris ac rationibus quam diligentissime consulit, suaviter acquiescere, proramque ac puppim omnium negociorum eandem constituere. Hæc in ipso vestibulo scriptionis huius ac frontispicio quasi ponere volui, ut aditum mihi patefacerem, viamque sternerem ac munirem ad porticulum vitæ meæ Serenitati Tuæ indice quasi digito ostendendum demonstrandumque. Nam me quoque ut pilam fortunæ habuit, variisque iactatum subinde ivit procellis. Annus iam labitur decimus, posteaquam, accepta a *Senatu Vltzensi* legitima vocatione, nihil animo tale opinans, speransque, e medio cursu studii iuridici, cui primaria animi destinatione operum tum navabam, *Rostochii* in tertium annum, abreptus suasu magnorum mihi volentium virorum, cercivem functioni scholasticæ gerendæ supposui. Eo in loco ætatem cum agerem, factum divina providentia est ut *matrimonii vinculo* cum honestissima Pharmacopœi tunc Vltzensis filia, adstringerer, & cœlesti postea benedictione, biga masculæ prolis ex ea augererque ac bearer. Scripsi tum & edidi, ut nonnulla alia, tum præcipue *Panegyricum* Serenissimæ Tuæ Celsitudini humillima devotione consecratum: non quod tanta fiducia ingenii, tantaque eloquentiæ mihi vis inesset, ut ex meritis ac pro dignitate tanta res a me tractari usurparive possit, qua inferior sit

longe

longe Suadæ ipsius *Arpinatis* etiam incomparabilis disertitudo, ac cœlestis prorsus facundia, sed ut Serenissimæ Celsitudini Tuæ hoc forte pacto innotescerem & submississimum erga serenissimam eius Domum meum obsequium, venerationemque declararem. Defuisse autem mihi tunc, homini in pulvere versanti, adminicula illa, quibus instructos alios esse animadverto, qui postea id muneris usurparunt etiam, sæpius dolui. Sed enimvero quamvis ingenii, doctrinæ & eruditionis laude lubens equidem iis cedo, affectu certe & animo, quibus rebus æstimari homines oportet, vix sum cuiquam secundus. Ex schola Vltzensi deinde evocatus sum a *Senatu Mindensi*, maiori quam omnes mei Prædecessores stipendio, ad scholam itidem eorum secundaria cura regendam. Sportam hanc meam, quo pacto, ultra annos quatuor ornarim condecorarimque, quam diligenter adolescentum ætatem sueco utriusque litteraturæ non tinxerim tantum, sed imbuerim penitus, non est pudoris ac ingenuitatis meæ heic deprædicare. Conscientiam certe gesti optime fortiterque muneris, ceu suavissimum comitem, præclarumque oblectamentum, mecum semper circumfero, & adversus caninos livoris ac invidiæ dentes per omnem vitam circumferam. Hac in functione *Poëmatum* meorum editionem primam adornavi, & Reverendissimi Archi-Episcopi Bremensis Serenissimo nomine librum præscripsi,

&

& quasi communivi. Qua ratione factum est, ut & in Reverendiss. Archiepiscopi, & in Consiliarium Eiusdem notitiam me penetraverim, qui iam tum mihi spem melioris, ac auctioris conditionis in alterutra dioecesi prolixe, ac humanissime fecerunt. Ergo igitur ego cum multis aliis, iisque sonticis, ac gravissimis de caussis, tum præcipue, quod, in *domo incommoda*, & insalubri admodum cum commorarer, sæpius cum vario morborum genere mihi confligandum, & in discrimen perdendæ prorsus valetudinis, cui bono nihil conferri potest in mundo bonorum, veniendum esset, *hoc officio me abdicavi;* & ut valetudinem concussam iam & labefactam, spe ac beneficio Soceri mei *Pharmacopœi* nunc *Verdensis*, erigere aliquantum ac fulcire possem, *Verdam* domicilium transtuli. Sed antequam Minda discederem, insignis calamitas domum meam oppressit propemodum; certe vehementer perturbavit. Vxor enim charissima tam periculose cœpit ægrotare, ut depositæ prorsus sanitatis & sibi ipsa, & medicis pariter videretur. Viginti hebdomadas lecto affixa, miserabile spectaclum decubuit. Sed indulgentia DEI favorque mihi eandem postea, *munus omni auro pretiosius*, redonavit. Incredibile tamen est, quantopere fortunarum mearum ratio hoc casu afflicta sit, quantumque res familiaris detrimentum ceperit. Non facile certe iacturam hanc sarciam, *homo faciendi quæstus imperitus;* nec e difficulta-

tibus

tibus quibus premor, nisi DEVS veluti e machina subito apparuerit, emergam eluctaborque. Interea dum Coniux mea sic semimortuam vitam ageret, memor scilicet mortalitatis, conscripsi *duos libellos*, unum soluta, alterum vinculis adstricta oratione; *Meditationem* scil. *Novissimarum* philologice pertractatam, & Commentationem *mortalitatis* variis carminibus adornatam. Verdæ ergo cum lares hospitalitios, temporanosque fixissem, & promovendi mei pulcherrima se ostentasset iam occasio, fit ut Evergetes meus Dominusque Clementissimus, turbine bellum valide desæviente; non tantum *Episcopatu Verdensi*, sed & *Archiepiscopatu Bremensi* dolendum in modum exueretur, evertereturque. Post aliquod temporis intervallum, iussit me Reverendum perquam Capitulum Verdense per Syndicum suum compellari, & ex me quæri, an animus mihi lubitoque esset, Rectoris in eorum schola conditionem accipiendi. Ibi ego non recusare me dixi, si Deo ita visum fuerit, & legitime si vocarer; si denique dent operam sedulo, ut ante omnia Rectori, qui iam octogenarius, & facultate videndi omni prorsus destituitur, nec, ut ipse fatetur, muneri huic cum fructu iuventutis aliquo præesse potest, satisfieret, debitumque, quod in mille Imperiales, ut ipse computat, excurrit, ei solveretur. Id agi cum Rector animadverteret, ut substituto sibi & officio & domicilio, quod ultra triginta annos possedit,

cedere cogeretur, non cessurum se esse dixit prius, quam pecunia ista numerata ipsi fuerit. Scit enim, accisas valde, attritasque facultates ac vires esse Reverendi Capituli; nec facile tantam pecuniæ summam ab iis, & in hunc quidem usum, posse cogi ac corrogari. Ergo negotium lento passu & testiduneo prorsus incedit, exque die in diem protrahitur; nec liquet sane, quando finem sortiturum sit ac colophonem. Accedente præter ea incommodo & isto, quod qui caput Episcopatus futurus sit, rerumque summa, ac quo pacto potiturus, ignorent ipsi, inter spem metumque medii, ac fluctuantes reciproce. Sed nec ego in tam perturbato ac confuso rerum statu terere ætatem ac consumere magnopere desidero; ingruente quotidie periculo, ne oppidum irruptionibus obnoxium a *Cæsareanis Vechtensibus* diripiaturque & evastetur. Ergo, Serenissime Princeps, ad Te velut ad sacram, ultimamque anchoram confugio, a Te rebus meis non satis nunc bene fundatis, præsidium ac fulcimentum unice peto. Tu me iuvare, Tu mihi consulere, ac prospicere; pro innata, & longe iam usu confirmata erga honestissimas litteras, quarum ego me cultorem, ac Candidatum profiteor, propensione, potes. Tibi ego meum humillimum obsequium, meam industriam, meum ingenium, quantumvis pertenue & infecundum, meos labores, meam fidem, me denique ipsum offero cum submissa veneratione, ac nexu

xu mancipioque proprium dedo, conſtituoque. Vtere, Sereniſſime Princeps, opera devotiſſimi Tibi miniſtri, uticunque voles. Polliceor ſancte, ad adminiſtrandum quodvis muneris genus, nunquam diligentiam, nunquam induſtriam, nunquam fidem meam iri deſideratum. Sive igitur ſcholaſticæ alicui functioni præficere me, ſive Profeſſionem academicam demandare mihi Sereniſſimæ Tuæ Celſitudini placitum libitumque fuerit, promptum me ac paratum mandata Tua capeſſere, & vita ipſa chariora habere, en accipe. Non poſſum ſane, nec debeo etiam multum mihi ſumere, attribuereque, ſi tamen ab ineunte ætate cum Muſis me commercium ac contubernium quotidianum habere, litterasque Poëticas & eloquentiæ non invita Minerva, nec ſine omni fructu omnino colere, ac uſurpare dixerim, nihil forte a vero alienum abſonumque dixerim: fiduciaque profectus in his talibus ſtudiis, quanticunque eſſet, nullum vero arrogantiæ crimen ſpecimenque. Ex opuſculis, quorum partem aliquam nunc transmiſſam ad pedes Serenitatis Tuæ venerabunda manu depono, rei huius coniectura haut fallax fieri poterit. Sed ego fatorum meorum, quæ inpoſterum, ſi modo id mereor, a Tua unius Principali clementia pendebunt, & hoc quaſi cardine vertentur, diſpenſationem arbitriumque Tibi libens transſcribo permittoque. In manu Tua eſt, Sereniſſime Princeps, hunc hominem vel

in editiori fortunæ ac honoris templo collocare, vel in ignobilioris ſortis domicilio detinere alligareque. Exequar omnia, patiarque ac feram, quæcunque benignitas Tua mortali huic impoſuerit. Eſto voluntatis meæ ac perpetui animi ſupplex hæc Epiſtola. Cui enim libentius, cui honorificentius inſervire quis poſſit, ac famulari, quam Principi illi, cui non dicam Germania noſtra, ſed totius Europæ ambitus, parem virtutibus vere regiis, doctrina admiranda prorſus ac coeleſtiſſima, vix habet alitque? Salve delicium orbis ac miraculum, ſalve Teutoniæ decus, litterarum ornamentum, doctorum tutela. Salve & mearum præſidium columenque rerum. Deus Te tantum ac talem, tam præclarum coeli depoſitum, pignusque ac germen, mortalium cœtibus quam diutiſſime ſalvum, florentemque intereſſe patiatur, deque noſtris annis Tibi annos augeat,

- faciatque videre
Natorum natos, & qui naſcentur ab illis.

Dabam Guelpherbyti feſtinante calamo 19. Augusti Anno cIɔ Iɔc XLVI.

Sereniſſimæ tuæ Celſitudinis

humillimæ ſubmiſſimæque
devotionis cliens

M. MARTINVS NESSELIVS.
P. L. C.

EIVS-

EIVSDEM EPISTOLA
AD
D. GOSKYVM.

Nobilissimo, Excellentissimo & Experientissimo Viro, Domino MARTINO GOSKY, *Vtriusque Med. Doctori, clariss. Comiti Palatino, & Aulæ Guelphicæ Archiatro meritissimo, Domino, Amico ac Fautori suo singulariter observando.*

Wolffenbüttel.

* * * * * * * * *

Magnifice, &c.

Dedi aliquoties ad Te iam ex Frisia nostra litteras. quas an acceperis, iuxta cum ignarissimis scio. Transmisi duo etiam Carmina, pauperculi mei ingenii foetus abortivos. Vnum quidem in Natalem, qui in Aprilis diem X. solet incidere, Serenissimi Principis AVGVSTI, D. B. & L. Domini mei Clementissimi. Alterum honori Tuo, Vir Nobilissime, consecratum, in quo præcipue ad editionem libri istius, cuius mihi specimen quoddam, cum apud Te essem, monstrasti, oculum intendi. Perquam mihi fuerit iucundum, & magno me affeceris beneficio, si vel tribus verbis me certiorem facere ne graveris, an in manus Serenissimas illas & Tuas pariter eruditissimas, carmina

mina illa cum epistolis venerint. Nihil quidem eximii a mediocritate mea sperari potest & exspectari; nollem tamen, quicquid eius sit, perire prorsus & intercidere. Amatores bonarum litterarum ea, spero, certe non contemnent. Ceterum summa ardeo cupiditate cognoscendi, án *opus Tuum Hieroglyphicum*, illud ingenii divini certissimum & admirabile pignus in lucem publicam prodierit iam. In parte infelicitatis meæ ponere soleo, quod de re ista nihil hic audiam, perinde ac si in Archivo quodam deserto vitam degerem. Nefas fuerit, tam præclarum ac stupendum inventum diutius intra penetralia Vestæ, quasi quodam in carcere, detineri. Vtinam vero, quid in illa etiam re factum sit, vel paucis edocear. Res rationesque meas quod concernit, sic satis commode hic vivoque & valeo. Ante has septimanus sex auctus sum divina benedictione *prole gemella*, mascula & sequioris sexus altera, cum uxor charissima vitam propemodum in partu isto amitteret. Faveat Numen dono suo & addat ei una cum matre longævitatem. Sed non possum Te celare, Vir Magnifice, fieri nescio quomodo, ut *frigeant in Frisia studia.* Plena sunt omnia litibus. Ideoque advocationum & causidicinæ opera maxime viget, floret, in pretio habetur. Reliquæ & *sapientissimæ litteræ, nugamenta putantur, & via ad esuritionem, ad egestatem ac contemptum compendiaria.* Itaque protinus foro se aptant, forum

spe

ſpe ac cogitatione præcipiunt, in forum acerba, cruda & immatura ſtudia propellunt maximam partem adoleſcentes. Salario ducentorum Imperialium annuo fruor. Sed locus eſt ita comparatus, ut ſumptus grandes exigat, & non parum etiam eſt rei frumentariæ incendium ac caritas. Multa ſunt, quæ mihi deſiderium Ducatus Brunſuigii ſæpe concitant. Ergo, Magne Patrone, ſi ſe occaſio Tibi mei promovendi ex frigore iſto Friſico eximendi in manus dederit, quæſo eam negligere nolis. *Profeſſio Poëtica in academia Iulia* a morte Domini MEIBOMII p. m. vacavit & adhuc vacat. Ei provinciæ ſi commendatione Tua præficerer (potes enim Tu in ea parte plurimum) ita me gererem, ne Te unquam affectus in me collati poeniteat. Sereniſsimus Princeps AVGVSTVS, ſcis, quam clementiſſime mihi litteris etiam principali manu exaratis, quam benignam promotionis in Ducatu ſuo non contemnendæ ſpem fecerit. Ergo etiam atque etiam a Te, Vir Magnifice, peto, ut mei per occaſionem apud Sereniſſ. Principem Auguſtum, vere talem, mentionem honorificam iniicias, & commodi mei ſtudium ne Tibi grave eſſe patiaris. Profitebor me clientem Tuum, & faciam, ut me quam gratiſſimum erga Te cognoſcas, collato in me immerentiſsimum, qualecunque fuerit, beneficio. Ego de fide Tua, de amore erga me, quem tot modis & argumentis, cum apud Te eſſem, teſtatum feciſti, iniurius ſim in Te, ſi

quicquam dubitem. Ergo, certisſimam ſane ſpem fero Tui, nec Tu nullum precibus meis locum relinques. Vale, Vir Nobilisſime, Patrone ſumme, & me, quod facis, amare perge, qui Te ob virtutem & doctrinam Tuam multiplicem colo ac veneror

Magnificentiæ Tuæ

Aurici Friſiorum ipſis
Nonis Aprilis Anno
CIƆ IƆC L. deditisſimus
M. MARTINVS NESSELIVS,
P. L. C. ſcholæ Auricanæ Rector.

EPISTOLARVM
BALVZIO - CONRINGIANARVM
TRIGA.

Nota.

Cum Excellentisſimus *Hermannus Dietericus Meibomius*, Sereniſſ. Ducis Brunſuic. Luneb. a Conſiliis regiminis ICtus & hiſtoricus incomparabilis, anno 1697. Lutetiæ Pariſiorum in illuſtris Stephani Baluzii notitiam veniſſet, hicque collectionem Epiſtolarum Baluzio - Conringianarum a *Caſpare Cörbero* anno 1694. Helmſtadii in lucem editam perluſtraſſet, tum emendationes quasdam mendarum typographicarum, tum tres in hac collectione omiſſas epiſtolas

ſtolas cum ipſo benevole communicavit, ut eas, ſi forte nova in Germania memorati Syntagmatis epiſtolici editio procuraretur, in ſupplementum vel Bibliopolæ vel Editori traderet. Quas cum ab Excell. Meibomio, ipſius Baluzii manu deſcriptas, accepiſſem, publico invidere nolui. En prius emendationes epiſtolarum Baluzianarum editionis Cörberianæ;

pag. 2. lin 17. *eos omnes mihi amicos eſſe.*
- lin 18. *pro ſua quemque virili.*

pag. 3. lin. 5. *quæ collectorum iſtorum.*
pag. 10. lin. 6. *allegatione.*
pag. 12. lin. antepenult. *Domnus Lucas Dacherius.*
pag. 13. lin. 17. *epiſtolæ ſive Pœnitentiales.*
pag. 35. lin. 9. *virum ſummum vocares.*
pag. 36. lin. 13. *factum iri ex eorum.*
pag. 70. lin. 27. *Wenilonem Archiepiſcopum.*
pag. 99. lin. 17. *cognomento Dazam.*
pag. 103. lin. 11. *cum ſe occaſio offeret.*
pag. 110. lin. 26. *codice MS. Sancti Theodorici.*
pag. 111. lin. 1. *Collegii Funenſis.*
- lin. 12. *in complementum ſuſcepti.*
- lin. 19. *in publicum exire fecit.*

pag. 113. lin. 11. *quam poſſum maximas.*

SEQVVNTVR EPISTOLÆ IPSÆ.

LXIX.

Clarissimo & eruditissimo
VIRO HERMANNO CONRINGIO
STEPHANVS BALVZIVS *Tutelensis.*
S. P. D.

Post datas ad Te nuper litteras XI. Kal. Martii, Vir Clarissime, *Ioannes Capellanus* fasciculum ad me misit, in quibus tuæ continebantur datæ die XIX. Novembris ipso natali die sexagesimo quinto, quem annum Tibi faustum ac felicem precor, Vir optime & eruditissime.

Primum gratiæ tibi a me agendæ sunt ob eximium illum amorem, quo te erga me flagrare video, quem valde cupio æternum esse. Nam quod ad me attinet, nunquam tibi mea observantia deerit.

Appendix illa *Reginonis*, quam ad me misisti, ad primam istam editionem procurandam utilis esse non potuit, quod in manus meas pervenerit post absolutum opus. Multum tamen tibi, *Hildebrando* & *Madero* debeo, qui adeo libenter vestram in hoc operam mihi commodastis, ut editio prodire posset absolutissima. Vestri itaque mentio facienda erit in secunda editione. Interim mittam ad te tria Reginonis exemplaria, unum unicuique vestrum. Ea porro cum sarcinulis suis in Germaniam missurum se mihi pollicitus est vir nobilis *Arnoldus Engelbrechtus*, quem vel ob hoc ipsum plurimi facio, quia amicus tuus est. Simul autem mit-

mittam ad te novam editionem libri *de concordia sacerdotii & imperii*, tum etiam reliquos omnes libros a me usque ad hanc diem editos velut monumentum obſervantiæ erga te meæ.

Epiſtola Ludovici Pii ad Archiepiſcopum Salzburgenſem edita iam diu eſt a *Goldaſto* inter Conſtitutiones imperiales, eaque ego ante hos annos uſus ſum in *notis ad Lupum Ferrarienſem.*

Non puto *epiſtolam Gerberti ad Wilderodum* extitiſſe in Codice MS. ex quo *Maſſonus* reliquas edidit. Codicem enim illum non habemus. Vtinam autem aliquem apud vos haberetis. Nam valde cupio ſcriptorem illum reſtituere ſuo nitori ac integritati. Illuſtriſſimum *Colbertum* tuo nomine ſalutavi, eique etiam litteras tuas oſtendi. Virtutem ille & eruditionem tuam plurimi facit.

Feſtinæ ſcriptioni ignoſces. Alias plura tecum. Nunc ideo tantum ad te ſcribo, ut ſcias, me litteras tuas accepiſſe, & ut intelligas effecturum me, ut libri, de quibus ſupra dixi, ad te perferantur, cum primum nobilis ille Germanus colliget ſuas ſarcinulas. Interim rogo te, ut me ſemper ames. Vale, Vir Clariſſime & eruditiſſime. Lutetiæ Pariſiorum III. Non. Aprilis MDCLXXI.

LXX.

EPISTOLA ALTERA BALVZIANA AD CONRINGIVM

Clariſſimo & eruditiſſimo

VIRO

VIRO HERMANNO CONRINGIO STEPHANVS BALVZIVS *Tutelensis* S. P. D.

Annus iam integer elapſus eſt, ex quo nihil ad te litterarum dedi, vir Clariſſime & optime, nimirum propter iſtos tumultus bellicos, Tu tamen interim plurimas ad me dediſti; quarum quæ poſtremæ mihi redditæ ſunt, ſcriptæ erant die XXVIII. menſis Martii præteriti, plurimam laudem continentes nobiliſſimorum virorum *Greyffenkrantziorum*, patris & filii. Omnino perſuaſum habeo, non eis a te plus tributum eſſe, quam res & veritas ipſa concedat, ut qui mores tuos candidos habeam perſpectos. Effecit autem filius, ut & ego quoque agnoſcere poſſem vera eſſe, quæ de illo ſcripſeras. Dedit enim ad me litteras, ut uno verbo dicam, Conringici ſaporis plenas, ita porro propenſi in me animi, ut deſiderari præterea nihil a me poſſit præter moderationem in commendandis qualibuscunque proceſſibus, quos in rebus litterariis ego facere potui. Vnde facile intellige, eum multum tribuiſſe tuo de me teſtimonio.

Accepi nudius tertius in uno faſciculo folia aliquot tuarum *exercitationum academicarum*, incipiendo nimirum a pagina prima usque ad paginam 264. quæ terminatur in his verbis: *Datum Brunſvig. VI. Idus.* Accepi præterea aliquot folia diſſertaionum tuarum *de antiquitati-*

bus

bus academicis, a pagina prima usque ad paginam 330. cuius hæc ſunt ultima verba: *per paucas tamen.* Præter iſta nihil accepi. Deſunt itaque prolegomena & poſtrema folia utriusque operis; niſi quod vir clariſſimus *Veriuſius* ad me nuper miſit duo exemplaria indicis exercitationum academicarum, quarum tamen unicum exemplar ad me miſſum a *Paulo* eſt, uti & diſſertationum de antiquitatibus academicis. Itaque ſi aliud utriusque operis exemplar integrum ad me miſeris, ſervandus tibi erit index exercitationum academicarum.

Editionis honore dedi non ita pridem vitam *Petri Caſtellani*, magni Franciæ Eleemoſinarii, quam nunc inventa occaſione ad te mitto, citius facturus, ſi ea reperta citius fuiſſet. Spero autem, te plurimam voluptatem ex illius lectione capturum eſſe.

Nova editio *Capitularium* tandem curatur per typographos, ut videbis in folio his literis coniuncto. Si quid heic per te aut amicos tuos me iuvare poteris, ſcio te libenter facturum. Itaque non utar longiori ſermone. Vale vir eruditiſſime & amiciſſime.

Lutetiæ Pariſiorum III. Idus Martias MDCLXXV.

LXXI.

LXXI.
EPISTOLA CONRINGII
AD
BALVZIVM.

Perillustri Domino
STEPHANO BALVZIO.

Perillustris Domine!

In gravissimo hoc morbo, qui iam sex integras hebdomadas lecto affixum tenet me, magno mihi solatio fuit, quum acciperem ex nobilissimo hoc viro Ducis Holsatiæ ad Christianissimum Regem Ablegato, non vivere te duntaxat, sed etiam pristino erga me animo esse. Quo nomine & Deo gratis confestim egi, etiam tibi ago, simul rogans velis porro me patrocinio tuo prosequi. Et vero opera tui illius patrocinii mihi hoc ipso tempore per est necessaria. Quantumvis scilicet diu anxiis votis expetita pax inter triumphatorem Ludovicum maximum & Hispanos Batavosque pæne iam tum sit constituta, neque dubitem, propediem Cæsarem quoque & tantum non omnes Imperii Ordines propositas pacis leges amplexaturos, multo magis Brittannum quieturum. Vereor tamen, ne victricia Ludovici arma, omnibus reliquis compositis, vertantur in eos, qui Suetis erepta negant reddere, etsi Suecorum caussam victor Rex tutandam susceperit. Enim-

Enimvero, nisi mitiora consilia hi pacis publicæ causa fuerint secuti, metuo, nihil non sinistrum, imo πανωλεθρίαν quandam huius etiam in qua vivo Saxoniæ. Non enim pauci hi confœderati Principes pares sunt Ludovici inusitatæ potentiæ. Spero equidem, hanc quoque σύῤῥαξιν divina ope tranquillatum iri, prius quam in nervum res eruperit. Certus autem sum, id nisi fiat, etiam me cum Principibus meis periturum. Vnum tamen etiam illis malis præsidium ausim polliceri, si in tempore prædatoriis tabulis regiis res meæ omnes muniantur. Verum illas impetrare non licebit, scio, nisi suffultus fuero illustrissimi *Colberti*, Mæcenatis mei commendatione & tua apud illum gratia. Ipsum & tamen Mæcenatem compellare non patitur & illius magnitudo & mea tenuitas. Tam perillustris Domini operam sine rubore petere, perspectus pridem affectus tuus audacem me reddit. Obsecro igitur te etiam atque etiam, ne graveris me clientem tuum quantum fieri potest, adiuvare in hoc periculo, quod quasi præ foribus excubat. Sane maius beneficium præstari mihi non poterit, & habebis me quoad vixero, imo & meos tibi devinctissimos. Simul atque pax cum Cæsare & Imperii ordinibus coaluerit, *significabo consilia*, quæ agito, componendis in perpetuum & coagulandis quasi Imperii & regni rebus omnibus, quæ item paro iamdudum honori regii Delphini. Oceano autem pacato, mittam tibi

quæ

quæ pridem deſtinavi ſcripta mea ultimæ fœturæ. Vale, perilluſtris Domine & perge favere ad obſequia omnia tibi paratiſſimo Hermanno Conringio. In lecto ægra manu, Helmſtadii 1678. 29. Iunii Stilo veteri.

LXXII.

EPISTOLA HENRICI HILARII
AD
CHRISTIAN. DAVMIVM.

Per eximio, Ampliſſimo atque Clariſſimo Domino, Dn. Chriſtiano Daumio, famigeratiſſimi, quod Cygneæ floret, Gymnaſii Rectori Sapientiſſimo ſimul ac celeberrimo, novo noſtri ævi Varroni ac Tullio, viro de ſtudiis litterarum, inprimis Philologicis, præclare merito, & indies præclarius merenti, fautori ac Amico longe honoratiſſimo.

Χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

Perexime, Ampliſſime, atque Clariſſime vir, fautor ac amice honoratiſſime.

Cum in Catalogo Lipſienſi fere ante annum, librum hoc titulo offenderem: Hieronymi Theologi græci, Dialogus de SS. Trinitate *) cum

*) Hunc D. Hieronymi de S. Trinitate dialogum, ex Biblio-

cum annexis quibusdam Georgii Scholarii &c. Aliquid paradoxi prima fronte hanc titulum (quod Hieronimus Theologus Græcus appellaretur) in se continere existimans, quiescere non potui, donec præteritis nundinis autumnalibus libellum per amicum allatum ipsemet inspicerem, & auctorem tam de nomine quam

K scripto

Bibliotheca Frid. Lindebrogii primus Ao. 1612. Lutetiæ edidit & ex græco vertit FEDER. MORELLIVS, Interpres & Architypographus regius. Præsens vero Daumii editio prodiit Cygneæ 1677. in 8vo. Non possum non, quin ex hoc dialogo sequentem locum hic inseram, per plurima similia argumentum de S. Trinitate illustrantem: *Vt sol & calor eius & radius emanans ab eo, tria quidem nomina sunt, sed una solis essentia: & quemadmodum anima, & ratio, & corpus hominis, non sunt tres homines: & sicut unguis digiti & os, & caro, non sunt tres digiti. Et veluti radix, & ramus, & folium arboris non sunt tres arbores; ut rosa, & flos, & suaveolentia non sunt tres rosæ; quemadmodum oculus & pupilla & lux oculi non sunt tres oculi: & sicuti fons, & fluvius, & rivus e fluvio non sunt tres aquæ. Itemque ut brachium & corpus, & palma non sunt tres manus; ac veluti Rubus, qui apparuit Moysi, habebat verbum, flammam & loquentem: & sicut fornax trium puerorum continebat hymnum, & flammam & rorem, cum una fornax esset, & quemadmodum nummus habet aurum & imaginem & pretium a Rege indictum; ita in sanctissima Trinitate unitas minime confusa, in tribus personis distincta una essentia & deitate.* Hactenus Hieronymus.

ſcripto penitius cognoſcerem. Gratias autem quam maximas, tibi, Vir Clariſſime, ago, quod in mediis etiam bellorum turbis, Marte ubique iam graſſante ac ſæviente, Muſasque variis locis exturbante, adeo ſolicitus de iuvanda re litteraria es, & quæ vulgo non ita nota, in aliorum quoque utilitatem ac commodum publicare ſtuduiſti. Simul quoque tuam Claritatem magnopere rogatum volo, ut ſi plura eius farinæ domi habet, prout Præfatio opuſculi in fine promittere videtur, ut litteratis alibi terrarum communicare beneficio typorum ea ne ceſſet. Erunt profecto non pauci, qui, ſi non ſcripto, ſaltem ore & animo, quantas poſſunt gratias, non inviti tibi perſolvant.

Ceterum data exoptata hac occaſione de nomine ac ſcriptis *Georgii Scholarii* *) per epiſtolam colloquium tecum inſtituere volui, maiorem in modum rogans, ut hunc meum conatum in bonam partem accipere ac interpretari digneris. Et principio quidem certum eſt, nullum fere auctorem reperiri, cuius de nomine & ſcriptis tot motæ ſint controverſiæ ac certamina in eccleſia Latinorum, quam de ipſo hoc Scholario. Nemo enim hoc ignorat, niſi is, qui ſcriptores eccleſiaſticos vel nunquam vidit, vel manibus non verſavit. Fuiſſe igitur aliquem Scholarium,

*) Adiunxit ſcil. Daumius Hieronymo, GENNADII SCHOLARII, Patriarchæ CPtani dialogum, *de via ſalutis humanæ &c.*

larium, virum inter Græcos duobus abhinc & quod excurrit feculis longe fapientiffimum, extra omnem aleam & controverfiam eft pofitum. Duos autem eodem tempore fuiffe adverfis frontibus pugnantes, prout non pauci, qui ex his tricis expedire fe vel nolunt, vel nequeunt, ftatuere funt aufi, fraude ac infigni impoftura non caret. Et fane non parum fum admiratus, quum doctiffimos quosdam feculi noftri viros, ut Allatium, Lambecium, Labbeum, alios, in eam fententiam defcendere animadverti. Qua de re integrum Caput apud Allatium libro III. fui confenfus legere licet. Argumenta autem, quæ is profert, pleraque omnia coniecturis nituntur. Vnum habet, quod ipfe firmiffimum putat, Lib. III. Cap. VI. n. 3. quod iuxta rei circumftantias tale eft: ait, *Theodorum* quendam *Caryffenum* ex concilio Florentino fæpius dediffe litteras ad Georgium Scholarium, non illum, qui poftea Patriarcha Gennadius fuit: fed ad alterum quendam, qui Conftantinopoli (ita enim ille vult) manferit, & unioni femper fuerit adverfatus, ac communis quafi Latinorum hoftis. Cui inter alia his verbis refcripferit Scholarius. Fortaffe, ubi redierit Imperator, tua interceffione eum alloquar. Neque enim iniufta, fi Deus dederit, ab illo petam; quando omnium optimo Imperatori perfuadebis. Ita ille. Vnde fic argumentatur Allatius: Qui exfpectat reditum, (ex Italia fcil. & concilio Florentino) Imperatoris,

cum Imperatore non est. Præterea (ita ibi pergit Allatius, & odiose quicquid non est ad ipsius palatum exagitat) Catholicus ille plurimi ab Imperatore pendebatur, ut ex actis concilii satis colligitur. Alter, Schismaticus, dum hæret & colloquia Imperatoris aliorum opera sibi procurat, parum virtutis, parum animi, parum etiam nervorum habuisse, vilemque apud Imperatorem se fuisse demonstrat. Huc usque Allatius. At, si hoc fortissimum pro duobus scholariis statuendum est argumentum, iam de tota illa argumentatione actum est. Aliunde enim iam constat (ex actis scil. concilii Florentini, auctore sylvestro *Sguropolo* magno ecclesiarcha, qui concilio interfuit, scriptis) eruditissimum Philosophum Gemistum cum Georgio Scholario, præ tædio ac impatientia, quod omnia pessime ac miris fraudibus in synodo Florentina peragi viderent, aliquot menses ante quam concilium finiretur, clam e synodo abiisse, Venetiosque delatos mari CPolin rediisse. Quid igitur impediat, quo minus hic ille ipse esse possit, qui Theodoro Carysseno in concilio adhuc existenti responderit, & Imperatoris benignitatem ac clementiam in certa quadam re sibi promiserit. Maxime sane mira res est, uno eodemque tempore duos vixisse scholarios, alterum pro, alterum contra concilium in arenam descendentes; alterum item monachum factum, Gennadiique nomen sibi sumsisse; alterum idem Gennadii nomen post

post initum Patriarchatum sibi indidisse. Vnde quidam magni nominis vir non sine caussa exclamavit: Vetus techna falsariorum, vocibus æquivocis aut geminatis veritatem confundere, & incautam simplicitatem ludificare gestientium! Cur non æque duos Florentios? aut duos Eugenios IV?

Et geminos soles, aut duplices se ostendere
Thebas?

Quod ebrietate (ita vir ille pergit) vertiginosa laborantibus nonnunquam accidit. Aut quæ unquam historia alium eius nominis propalavit præter hunc, qui in Italiam cum suis migravit, & cum suis rediit in patriam, vixitque Constantinopoli dum, ea capta, ab ipso Mahomete provectus fuit in Patriarcham, sub nomine Gennadii &c. Felices olim erant Græci in mentiendo; sed tempus, quod omnia mutat, variasque rerum vicissitudines induit, artem quoque hanc una cum bonis litteris atque scientiis ad Italos & Latinos deduxisse videtur. Si quis vero accuratius paulo indagare conatur, cur ita in nominibus petulanter ludere lubitum fuerit Latinis, nullam aliam causam, credo, reperiet, præter hanc: Erat Scholarius, vir magnæ sapientiæ ac eruditionis, quem omnes suæ nationis ætate ista virtutibus ac doctrina superasse ex variis scriptoribus colligitur, quod *Bessarion* ipse (at quantus vir!) lubens agnoscit, ac se longe infra ipsum subsistere confitetur. Magnum itaque rebus suis La-

tini emolumentum se afferre posse existimarunt, si hunc virum dogmatibus suis (saltem quibusdam) assensum præbuisse affirmarent, & posteris idem credendi ac statuendi occasionem darent. Quamvis enim tres magni viri Bessarion scilicet, Gregorius Protosyncellus & Isidorus Rutenus cum ipso Imperatore omnia in synodo a parte Græcorum peragerent, aperteque Latinismum amplecterentur; maiorem tamen accessionem fieri posse putarunt, si Scholarium (qui re vera cum Marco Ephesio semper adversatus est Latinis) suis quoque partibus (fingendi scil. aliquid scriptorum & supponendi sub inclyto eius nomine) adiungerent. Magnum enim id præiudicium Græcorum fidei seu dogmatibus creare posse, sine dubio sunt arbitrati. O fraudulenta ac astuta nimis Italorum ingenia! optime profecto factis norunt exprimere illud Plautinum: *Doli non sunt doli, nisi astu colas.* Etiam in eam fere adducor sententiam, ipsos quoque sub Marci Ephesii nomine, si aliquantulum saltem rebus Latinorum favisset, & non impenetrabilis prorsus mansisset, aliquid scriptorum fuisse extrusuros, ut eo facilius nationem Græcam ad dogmata sua perpellerent. Quanta autem familiaritate ac amicitia Marcus Ephesius Scholario fuerit coniunctus, frequenter auctores indicant, & indicio quoque inter alia est *Monodia*, ab eo in dormitionem seu obitum Marci composita; cuius etiam, adducto Possevini loco, pag. 102, mentionem facit

Tua

Tua Claritas: ubi Possevinus more Pontificiorum solenni, paulo post subiicit: *Si de Marco Ephesio Schismatico hoc intelligeretur, omnino esset expungendum.* Ita enim & Bellarminus in libro de scriptoribus ecclesiasticis, & alibi saepius loquitur. Quoties nimirum locus in veteribus ecclesiasticis scriptoribus rebus nostris favere videtur, male de eo sentiunt, & sine ulla exceptione expungendum esse ducunt. Et sane, ut *Allatius* cum aliis duos Scholarios fingit: ita pariter *Possevinus* geminum Marcum Ephesium in mente habuisse videtur, ut ita si vni res non conveniat, statim alter adsit ad cuius pedes calcei sint habiles & apti. Apud Graecos de nomine Scholarii nulla prorsus est controversia, neque per somnium quidem de gemino Scholario statuendo unquam illi cogitarunt, prout etiam ad interrogationem non incelebris cuiusdam Gymnasii Professoris regessit Hieromonachus, Dominus *Daniel Castricius*, qui ex insula Patino ante septennium ad nos, stipis colligendae gratia, in Germaniam venit. Et haec de nomine Scholarii ita a me dicta sunto.

Scripta porro eius, quod attinet, hactenus equidem nihil videram, praeter illam, quam modo Tua Claritas evulgavit, Confessionem, quam olim quoque Regiomonti ex historia universali Boxhornii, cui inserta legitur, excerpsi; postea vero *Guelpherbyti* in Turco-Graecia *Crusii* graece, latine ac turcice impressam vidi.

Prologus item eius oculis meis nondum fuerat usurpatus, ut neque subiecta Precatio, quae mirum in modum me afficit, & quam quotidie fere legere soleo. Apud scriptores vero ecclesiasticos toties fit mentio *trium* eius *orationum*, quas pro concilio Florentino habuisse dicitur, quarum in prima concordiae cum Latinis pangendae necessitatem proposuerit: in secunda, concordiam illam obstruentia removerit impedimenta; in tertia, fundamenta suggesserit paci in perpetuum stabiliendae. Hae orationes actis Concilii Florentini annexae leguntur. De quibus orationibus Theologus quidam exterus longe doctissimus alicubi ita scribit: *Tristia sunt & deploranda, quae Georgio Scholario Latini affricant ad finem concilii Florentini, & non astruendae veritati, sed pueris oblectandis excogitata crepundia.* Et alio loco: Cur ego haec ficta putem, & Latinorum quorundam commenta, qui Graeca haec nomina ementiti, universae genti Orientalium infamiam inurere, & causae suae gloriam parere plus aequo appetiverint, breviter iudicabo. Ita ille. Cum autem probatio eius egregia quidem, sed prolixior sit, eam proponere hac vice non placuit; sed commodiori tempori & occasioni eam reservatam volo. Idem autem quod de orationibus, de Apologia quoque pro quinque capitibus in concilio Florentino definitis, dicendum erit. Eundem enim spiritum, quem orationes iam dictae, ista

Defen-

Defensionis capita sapiunt, & ab omnibus recte sentientibus improbantur ac reiiciuntur. Et, quod reticere hic non debui, superius citatus *Sguropulus*, accuratus Concilii toties allegati conscriptor, ne minimum quidem de talibus Scholarii orationibus consignavit. Quare, cum omnium recte iudicantium calculo sint spuriae (prout ipse quoque *Rivetus*, ringente licet *Labbeo*, statuere non est veritus,) ruunt hic sponte cetera, quae Tua Claritas in fine Opusculi ex Iesuita Labbeo recenset, ut sunt tractatus *de Praedestinatione*, *Homiliae*, *variae Epistolae*, & alia, pro veris ac genuinis Scholarii scriptis mea sententia agnosci possunt atque haberi.

Haec ita, Vir Clarissime, de hac materia Tecum colloqui volui, etiam atque etiam rogans, ut, quid Tuae Claritati de omnibus his videatur, breviter per occasionem me certiorem reddere velit. Obiter & illud adiicere volui, mirum videri, unde nonnulli toties in nomine Patriarchae Constantinopolitani, qui concilio Florentino interfuit, errent ac cespitent, modo Georgium, modo Gregorium, modo Michaëlem, & nescio quomodo eum nominantes. Erat autem *Iosephus*, ut Tomi Conciliorum, ut omnibus fere paginis Sguropulus inculcat.

Priusquam autem finem scribendi faciam, illud adhuc monere Claritatem Tuam volui, vidisse me paucis septimanis ante fatale illud

incendium Cellerfeldenſe, in quo & ipſe bibliothecæ & rerum mearum ceterarum iacturam feci, apud Ienenſem bibliopolam, *trilinguem* tuum *Catonem*, qui mirum in modum mihi arriſit. Ab eo vero tempore, vel eam ob cauſam, quod omnia exemplaria iam ſunt diſtracta, vel ob aliam mihi ignotam, denuo eundem videre mihi non contigit. Si itaque Claritas Tua in tantum nomini noſtro prætenui gratificari, eorumque verſuum exemplar filiolis meis duobus, *Henrico Chriſtophoro*, & *Friderico Iulio*, pro munificentia ac laudata liberalitate tua dono mittere velit, nunquam non gratiſſimo uterque id agnoſcet animo, egoque ipſe, ſi qua re viciſſim, (tenuitatem meam ſatis agnoſco) tuis commodis inſervire potero, nullo non tempore paratiſſimus ut inveniar, operam dabo. Vale, Clariſſimum Germaniæ noſtræ ſidus, & rei litterariæ utilitatibus plurimos adhuc annos feliciter, Numine clementer annente, invigila.

Clarit. Tuæ

officioſiſſimus

Dabantur Goslariæ
die XI. Decembris
anni finientis 1677.

HENRICVS HILARIVS,
Rector, antequam triſte illud incendium omnia deformaret, Cellerfeldenſis, mppria.

LXXIII.

LXXIII.

CLARISSIMI DAVMII

AD

PRÆCEDENTEM EPISTOLAM

RESPONSORIA,

Clarissimo Viro, *Dno.* HENRICO HILARIO, *Cellerfeldensis Phrontisterii pridem Rectori*, *fautori & Amico suo exoptatissimo*, *agenti nunc Goslariæ*,

CHRISTIANVS DAVMIVS

S. P. D.

Pergratæ mihi fuerunt tuæ, Vir Clarissime, litteræ, quæ heri incommodissimo quidem ad me appulerunt tempore, dum nimium nundinis his instantibus Lipsiensibus non una Epistola, ad amicos longe hinc dissitos, exaranda est, & domi me meamque uxorem valetudo remoratur non satis bella. Occasione igitur commoda, & brevi & festina ad te rescribendi perpensa, ne prorsus nihil aut valde tarde ad eruditissimas humanissimasque tuas darem, brevi potius quam nullo responso defungendum mihi esse ratus sum. Primum gaudeo, Hieronymum tibi meum acceptum esse, atque ecce eius a me exemplum, uti & desiderati Catonis, cum paucis, quæ ad manum

num fuerunt, aliis, quæ qualia qualia boni æquique facies. De *Gennadio* valde oblectarunt me, quæ docuisti, & gratias tibi propterea ago. Desunt mihi adhuc Acta Concilii Florentini, & tenues pro tempore reculæ, ut statim mihi comparem, non facile patiuntur. Quis exterus ille Theologus sit, & quo in libro hæc scripserit, haud gravatim iudicio eris. De altero Georgio sive Gennadio etiam mihi res suspecta erat; nolebam tamen (cum properaret typographus, & domestica me tum affligeret calamitas, dum fures militares eo ipso tempore omnem supellectilem culinariam stanneam, & ex museo, fornace perfracta, cistulam argento aliisque cimeliis, inter quæ *antiqua numismata a Styrzelio* aliisque amicis dono data, ne Arabicos & ex Servia Hungariaque a parente olim meo allatos nummos memorem, etiam singularibus ac necessariis schedis monumentisque, refertam mihi abstulerunt, nunquam reparabili damno) nec poteram etiam præ dolore esse prolixior. Esset sane illa de Gennadio Epistolæ tuæ pars digna, quæ libello meo accuderetur, si non exemplaria fere omnia, præter unum & alterum domi asservatum, essent iam profligata. *Abdia Babylonio* donavit me superiore hebdomade nobiliss. & ampliss. *Nic. Heinsius*, Danielis filius. Sed ab ea editione absunt, quæ desiderabam ego, *Notæ nimirum in B. Martini de Trinitate professionem.* Eiusdem

mune-

munere habeo *Marium Victorem Massiliensem*, ex *Morelli* editione, quam tantopere olim Barthius Weitziusque desiderabat. Est enim genuina, nec ut ceteræ a Gagneio interpolatæ. Sed sumtus qui ferat ad typos, nondum reperi hominem.

Plura quæ vellem nunc omnino non datur, qui hæc deproperare, ut vides, coactus fui, & molesta est acris destillatio ex gravedine capitis, quæ chartas maculat. Bene ergo vale ac diu, & mihi favere, non tamen invidiosis nec mihi debitis laudibus me onerare perge. Dabam Cygneæ die 4. Ianuar. 1678. quem cum multis feliciter secuturis Tibi tuisque lætissimum atque exoptatissimum precor ac voveo.

EPISTOLÆ VARIORVM
CLAR. VIRORVM
AD
HENRICVM MEIBOMIVM,
EIVSQVE FILIVM
HERMANNVM DIETERICVM.

LXXIV.

Illustri, Magnifico, Prænobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo Domino Dn. D. HEINRICO

CO MEIBOMIO, *summi nominis Medico atque Polyhistori, in celeberrima Acad. Iulia Medicinæ atque Historiarum Professori Publ. Ordinario, gloriose merito, Facultatis Medicæ Seniori atque Consiliario & Archiatro Guelfico splendidissimo, &c. &c. Domino ac Patrono meo optimo, & fincerrime colendo.*

Helmſtadii.

Dulciſſimam Humanitatem Meſſiæ!

Illuſtris, Magnifice, Prænobiliſſ. Excellentiſſ. atque Experientiſſime Vir,

Domine ac Patrone magne & vetus.

Quamvis ad meas hactenus nullam reſponſionem a Te, qui multis occupationibus atque lucubrationibus quotidie es implicitus, acceperim; tamen firmiter credo, atque mihi perſuadeo, Te eſſe adhuc Patronum meum certum atque candidum, ex cuius memoria non eſt elapſa illius memoria, qui Te atque excellentiſſimas aperti animi Tui egregiique ingenii dotes, dum erit in vivis, decenter venerabitur. Quod poſtulat quoque affectus ac gratia illa incredibilis, qua olim me dignatus eſt ſocer Tuus adque deſideratiſſimus *Brandanus Dætrius*, Abbas Riddagshuſanus & Prot-Eccleſiaſtes aulicus Guelferbytanus multa virtute, gloria & meritis vere inclytus, cuius quippe urna

urna ab omnibus bonis impolluta perpetuo ſervabitur. Vt autem videas, quanti Tuam memoriam ac nomen Tuum ſumme clarum æſtimo, *Daumianas* ad me latine ſcriptas *epiſtolas* mittere Tibi hac vice mihi placuit, modo ut haberes, quo me & B. *Daumium* noſtrum, qui vivus impenſe Te amavit, & meritiſſimo mecum eſt admiratus, non oblivifcereris. Et ut B. noſtri *Dætrii* nomen in iisdem Epiſt. nr. XXXVI. p. 37. eſt conſpiciendum: ſic iam laudatum nomen Tuum exſtat quoque Epiſt. XVI. pag. 25. XXXVI. pag. 28. XXXVII. pag. 49. XLVIII. pag. 81. & XLIX. pag. 82. Simulac eiusdem Daumii epiſtolæ ad Vratislavienſes, inprimis ad *Ioh. Gebhardum* & *Martinum Hanckium*, ſumtu meo ac ſtudio fuerint impreſſæ, illarum ſtatim ac ceterarum recularum, quas prælo nunc ſubieci, participem Te faciam. Quotus, quæſo, eſt in ordine huius nominis *Albertus* iſte Comes Palatinus ad Rhenum, & utriusque Bavariæ Dux, qui nummum iſtum, cuius ectypum papyraceum incluſum mitto, cudi atque ſignari iuſſerit, & quæ huius nummi ac notæ averſæ faciei impreſſæ propria cauſa & ratio? Hoc enim, quod ſcire deſidero, ex voto nullus coniicere poſſum, quia illi nummo nullum tempus, quo cuſus, eſt impreſſum. Et quanquam coniecturam de huius monetæ origine facillime poſſim capere; attamen, crede, valde ſum timidus, ac trepidus aliquid certi ſtatue-

ſtatuere in tali re, quæ multis hiſtoricis atque Polyhiſtoribus nequaquam probe nota eſt, perſpecta atque cognita. Tu ſi me hac in re feliciter informare atque docere, ut vere potes, poteris, facies opus & mihi, & orbi litterato gratum, & ego ero doctrinæ Tuæ ſalutaris atque ſingularis velificandi promtitudinis perpetuo memor, qui non oblitus laudis iſtius, quam in eruditiſſimis notis Tuis, atque augmento ad *Valentini Heinrici Vogleri* Introductionem in notitiam cuiuscunque generis bonorum ſcriptorum pag. 177. benigne mihi attribuiſti. Belliſſime vale, o prima Muſarum meliorum portio! & ſaluta in occaſione maxime commoda, ni grave & moleſtum Tibi, Theologos ac Profeſſores veſtros laudatiſſimos atque decantatiſſimos, *Ioannem* nimirum *Fabricium*, *Io. Andr. Schmidium* atque *Io. Bartholdum Niemeierum*, quos mihi vere faventeis ac candide me amanteis novi. Dab. *Oelsnizii* intur Variſcos d. 29. Nov. A. Redemtionis humanæ M. DC. XCVII.

IO. FRIDER. HEKELIVS,
mpr.

LXXV.

LXXV.
EPISTOLA SCHELHAMMERI
AD
HENR. MEIBOMIVM.

Vir Nobiliss. atque Excell.

Amice & Compater honoratissime.

Quanquam iam diu nihil a Te responsi ad iteratas etiam meas tuli, nolui tamen vel hanc tam exoptatam constantis erga Te observantiæ meæ documentum transmittendi occasionem prætermittere, præsertim cum ipsa res moneat, & recepta ac constans, Christianis maxime digna consuetudo, sub novi anni ingressum omnia bona amicis augurandi moveat. Eum proinde Tibi, Vir excellentissime, auspicatissimum precor, prosperrimisque successibus ita refertum plane, quo veteris illius calamitatis & infaustum casum, quo nobilissimam domum Tuam afflictam comperi, solari eiusque memoriam penitus ex animo delere bona fide queas. Equidem si quid potest lenimenti afferre sinceri affectus contestatio, nos ex intima mente animi condoluisse infortunio Tuo, & in partem venire iustissimi doloris, certo potes confidere. Sed agnoscis humanæ sortis vicissitudinem, qua nulla felicitas solida

aut perpetua eſt, & divinæ voluntati Te Tuaque omnia atque Tuorum, pia ſubmiſſione, ut virum fortem decet, ſecurus immenſæ ipſius Numinis benignitatis ſubmittis. Itaque deſino plurium, & vulnus, quod iam occalluiſſe oportet, refricando cruentare abſiſto. Nos hic interim ſalvi quidem agimus, & ſic ſatis bona fruimur valetudine; ſed ex altera felicitatis humanæ parte non nihil laboramus: caritas enim annonæ & non adeo larga rerum affluentia nos premit. Interim non deſerit tamen Divina benignitas, idemque Clariſſimi *Pechlini* fatum eſt, qui propterea vix aliud præter Satyras meditatur; ſed quas premere iubet eius cum timiditas, tum ipſa prudentia. Medicinam ſane tantum non omnem omittit dudum, illique, niſi in quantum officii ratio & Archiatri munus nonnunquam poſtulat, valedixit non tantum, ſed de incertitudine eius & legum ipſius firmitudine nimis contemtim & ſentit & loquitur, nimiſque aperte quam vellem inter aulicos, ſua ſponte a nobis averſos ac libere in eam ſarcaſmis ludit. In re litteraria, quod hic agitatur, præcipuum eſt *Calendarii* & computationis temporum emendatio: qua de re D. D. *Schmidius* plura poterit referre. Mihi cum Dn. *Ramazzini* res eſt, qui ad meditationem meam *de Mercurii in Thermometro deſcenſu*, Ephemeridibus noſtris ante biennium ſubiunctam ſatis acri & petulanti fere calamo reſpon-

respondit: cui ego apologiam reposui, & eam modeste quidem, sed tamen viriliter repressi. Videbit opusculum propediem lucem: neque enim concedendum est Italis, ut cucurbitam pro capite esse Germanis, persuadeant sibi. In praxi præter alia hoc anno, cum pertinacissimo affectu conflictatus sum, quo ægri nocturno præsertim tempore, cum de die obambulent & utcumque præsint suis rebus, miseros cruciatus in intestinis experiuntur, & tenesmo excitati, decies vel pluries deponunt, & exiguam copiam materiæ modo purulentæ cum sero cruento mistæ, modo ipsius seri & cruoris inveteratum malum esset, multum negotii facessivit. In præfecto militaris legionis intra dies 14. morbum ita repressi, ut penitus esset restitutus, sed ille mox, cum pessima uteretur diæta, recidivam passus est. Altera primæ nobilitatis foemina iam tum bimestre spatium mea opera utitur, & remittit non nihil malum: nam & dolores cessere & vix semel de nocte excernit. & materiæ copia minuitur, sed nondum plane restituta est, & an futura sit, etiamnum subdubito. Nescio, utrum *fluxum Hepaticum* appellem, certe hepar laborare non eam materiam, quæ nihil prorsus bilis admixtum habet, ex se dimittere, vix vero est simile, præsertim cum dextrum hypochondrum salvum appareat, contra sub umbilico dolores sentiantur. Nihil addo, nisi id, quod facile me tacente intelligis,

nihil mihi gratius futurum, quam si & Tu memor antiquæ inter nos consuetudinis, eruditissimis acceptissimisque Tuis litteris me beare instituere. Vale, & nobiliss. Coniugem ex nobis omnibus officiose cum reliqua familia saluta.

T. Excell.

deditissimus cultor,

SCHELHAMMERVS.

LXXVI.

EXCERPTVM EX LITTERIS H. F. PAVLLINI AD HENRICVM MEIBOMIVM,

Isenaci, 4. *Aug.* 1699. *datis*.

Jüngst berichtet mich Herr Prof. Wiltvogel von Iena, wie dass belobter Herr *D. Knaut* fast Ungnade mit seinen in Druck gegebenen Ballenstädtschen Antiquitæten verdienet, indem solche von denen Anhaltischen Fürsten confisciret worden wäre, wie ihn der dasige Canzler, Herr *Timæus*, berichtet. Ob nun dem also, stelle dahin. Was vor Glück mit meinen annalibus Cellæ Paulinæ haben werde, steht zu erwarten. Sie lieget nun zur Presse fertig &c.

LXXVII.

LXXVII.

EPISTOLA
GERHARDI MOLANI
AD
HENRICVM MEIBOMIVM.

De aureis Hamburgensibus faudo nihil accepi: iunctim edere integras aliorum collectiones, eorum est, qui nummarium studium auspicantur, si vidissem catalogum & quos aureos desidero, pro pretio, alterum tantum non excedente, potuissem habere, excussissem fortasse meos loculos, & inter emtores dedissem etiam meum nomen. Quae pro *Böhmero* gratiose pollicitus es, non potuere mihi non esse iucundissima, ingenium habet, aetatem habet, habet insuper ingens discendi desiderium, ita ut non dubitem, quin suo tempore aliquod sit facturus operae pretium. Quod superest, *nummulum* mitto *argenteum*, tuamque desuper sententiam obsequenter requiro. In utraque parte *Leo* conspicitur, stans pede in uno, reliquis cum cauda erectis. Inscriptio partis aversae haec est:

MONETA NOVA BODEWERD - -

adversae:

AD. VREDER DVC. BR - - -

Bodenwerder oppidum eſt Ducatus Calenbergici, ſed quod nunquam poteſtatem habuit, quod ſciam, cudendi monetas. Poterit ibi fuiſſe officina monetaria, ut in oppido Mundenſi, quæ in Imperialibus Divi Iulii nominantur. Quis autem quæſo, ille VREDER h. e. FREDERICVS vel Fridericus Dux Br. Ego fateor aquam hic hærere mihi. Doce me, ſi potes, Vir Nobiliſſime, nummum hunc tibi debeo, Deus nos ſervet. ſcrib. Hannoveræ 28. Oct. 1699.

Excell. Tuæ

obſequentiſſimus ſervus
GERARDVS ABBAS
Luccenſis mp.

LXXVIII.
EPISTOLA WAGENSEILII
AD
EVNDEM.

Fidem meam teſtor, non male locaſſe te operam, quam in ſcribendis ad me litteris, navaſti. Quippe fama, quæ vix unquam ſolide vero favet, longe alia de Nobiliſſimi filii tui acerba morte ad nos pertulerat, quam quæ ſucceſſere, proindeque communicavi epiſtolam cum omnibus Collegis meis, quibus etſi hoc gratum fuit, rem prout ſeſe habuit, pernoſſe, tamen de cetero deplorabant tuam calamitatem, & præciſam ſpem, quam omnes de honoribus fortunisque Filium optimum manentibus conceperamus. Sed & ob illam, Vir Ampliſſime, animi tui moderа-

derationem, & ingenuam pietatem, quam litteræ tuæ ſpirant, crevit apud nos tui veneratio, quam ego inprimis ſervabo, quoad vivo mihi eſſe licebit. Interim ingemino votum, ut Deus quod in uno Filiorum amiſiſti, in ſuperſtite reſarciat amplo fœnore, & natos ex eo hisque genitos pronepotes amplexari tibi concedat. Eſt omnino martyrii genus, etiam extra Chriſtianæ religionis profeſſionem, innocenter mortem oppetere, ut tanto certior eſſe poſſis, de æterna filii ſalute. De reliquo, ſpero ad te perveniſſe Diſſertationem quam perferendam dedi. Deus novit, quid intendam, quamque unice miſerrimorum Iudæorum ſalus curæ mihi eſt cordique. *) Vtinam multos hæc eadem ſollicitudo, teneret, ac miſſis internecinis odiis hoc bellum militarent non carituri ubique lætis ſucceſſibus. Quod ſi reverſus eſt, qui ſuperat, præclarus Filius, multa ſalute eum impertio, meque illius benevolentiæ commendatum velim. Tibi vero, Excellentiſſime Virorum, ſupremum Numen omnia optata concedat, & te ſervet tuis ſolatio, reipublicæque litterariæ maximo ornamento quam diutiſſime. Scrib. Altdorf. Noric. die 15. Nov. 1699.

Nobiliſſimi, Celebrisque apud omnes

Nominis Tui obſervantiſſimus

IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS.

L 4 LXXIX.

*) Id inter alia præſtitit B. auctor in erudito opere, cui tit. *Tela ignea Satanæ.*

LXXIX.

EPISTOLA CARPZOVII AD HENR. MEIBOMIVM.

Inexſpectatum & plane inopinatum Fratris obitum ex epicediis intelliges, quæ mitto: unde cognoſces, quam miro fatorum arbitrio ea ipſa die, qua octogenario maior Superintendens condebatur (in cuius locum & officia ſucceſſurus erat Frater) hic deceſſerit, & aliis ornanda & ſua & iſta munia ſpartasque reliquerit. Vehementem in dolorem me tam inopinatus coniecit caſus, ut plura etiam ſcribere ab eodem prohibear. Actorum noſtrorum præterlapſi anni, qui tibi deſint menſes, quod non ſatis memini, me quæſo per Hammium ad nos profecturum moneas, ut is ad te eos perferat. Vale, Lipſiæ prid. Cal. Aprileis cIↃ IↃcXCIX.

Ampliſſ. Nominis Tui

obſervantiſſimus

FR. BENED. CARPZOV.

LXXX.

EPISTOLA WAGENSEILII AD HERM. DIETER. MEIBOMIVM,

Conſolatoria.

Nobiliſſ. Excellentiſſimeque Domine!

Atrocem dolorem, quem ex obitu ſummi parentis Tui conceperam, nonnihil emollivit epiſtola tua, e qua illud liquido cognoſcere mihi licuit, ferre te aſperam tuam ſortem chri-

christiano animo, firmiterque persuasum esse, & Fratris, quæque secuta sunt, Parentis etiam facta, a cœlesti provenisse providentia, adversus quam mortalibus nobis hiscere nefas est. Respublica litteraria ut minus affligatur, tute, Vir insignis, efficis, qui celeberrimo Patri in parte primaria muneris successisti, propagaturus & illius & avorum gloriam. DEVS te servet, concedatque ut omnia optata feras, modo tu favorem tuum benevolentiamque ætatem mihi conserves, idque ut facias, maiorem in modum seriis precibus a te contendo. Quod iussisti, exsecutus sum, atque tenui ieiunoque carmine officium feci in colendis Beati Parentis manibus, quem alii, quibus Camœnæ, quas ego nunquam, ceu ipse nosti, propitias habui, magis faventes sunt, melius promerito celebrabunt. Sed pietate nemo me vincet, qua maximum Virum semper ex animo sum prosequutus, suspiciamque, quoad vivo mihi esse licebit. Ceterum quod ad filium meum attinet, is sane me deseruit, atque in extremo Borussiæ angulo lares fixit, quod moleste me ferre facile iudicabis, in tantum, ut nolim ea de re verba multa facere. Vale, Nobilissime Vir, & mecum in amore fac, quæso, mutuum. Scr. festinus Altdorf Nor. d. 12. Mart. 1701.

Nobiliss. Excellentiss. Nomen Tuum

ex animo summopere colens

IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS.

LXXXI.
EPISTOLA PERIZONII
AD
EVNDEM.

Amplissimo Clarissimoque Viro
HERMANNO THEODERICO MEIBOMIO
S. P. D.
IAC. PERIZONIVS.

Patrem tuum, Virum Celeberrimum, fatis functum superiori anno audivi & dolui maiorem in modum, partim ipsius merito sane clarissimo, partim quia pauci adeo supersunt, qui gloriam antiquam litterarum, ubivis nunc ferme exolescentem, decore sustinent. Sed hunc dolorem levavit & minuit quamplurimum, quod Te intelligo in Historiarum professione successorem datum, quo nomine & Tibi, & Academiæ vestræ gratulor, Deumque Opt. Max. precor, ut hanc dignitatem Tibi fortunare, Teque illi vicissim diu præstare incolumem velit. Epicedium, quod desiderabas, videbis hisce litteris additum, sed tenuis avenæ pro mei ingenii modulo. Non ægre feres, opinor, quod ex eadem fidelia duos veluti parietes dealbarim, seu quod Nobilissimi Patris Tui memoriæ adiecerim Amplissimi quoque *Carpzovii* mentionem. Fuit is mihi multo amicitiæ usu, qui inter absentes esse potest, coniunctissimus, cuius memoriæ lubens, si admonitus fuissem, tabellam amicitiæ

citiæ nostræ testem dedicavissem. Et miror profecto, non invitatos etiam exteros ad celebrandas eius exsequias, qui tot exteris erat charissimus, & cum iis iucundissimum exercebat litterarum commercium. In ordine, quem Elegiæ præscriptum vides, non spectavi utriusque dignitatem, cuius quæ apud vos in Germania habeatur ratio, incertum mihi est, sed tempus mortis. Sed tamen si alium ordinem publici apud vos mores postulent, vel quacunque alia de causa Tibi aliter faciendum videatur, id tibi persuadeas velim, per me Tui plane arbitrii & consilii totum hoc esse negotium: tanto magis, quia tantum Carpzovii fit mentio per occasionem celebrandæ Patris tui memoriæ. Ceterum si carmen hoc Cl. Patre tuo dignum censueris, ac typis describendum curaveris, tum vero, si comodo vestro fieri queat, velim, mei solius carminis, extra fasciculum aut volumen reliquorum, excudi iubeas exemplaria plus minus viginti, eaque ad me mitti prima, quæ dabitur, opportuna satis occasione. Viri Clarissimi *Matthæus* & *Vitriarius* plurimum Te vicissim salvere iubent. Vale, vir Doctissime, & adiectam epistolam Amplissimo *Werlhoffio* trade vel mitte, quæso. Vale iterum, & me ama. Lugduni in Batavis a. d. XIII. Kal. Aprileis cIↃ IↃ CCI.

P. S. Diem mortis paternæ adscribes, si videtur, Titulo carminis, idque ut sine vitiis edi cures, rogo. LXXXII.

LXXXII.
EPISTOLA SNABELII
AD
EVNDEM
Clariss. Politissimoque
MEIBOMIO
HISTOR. IN ALMA IVLIA PROF. DIGNISSIMO
S. D. P.
HIERONYMVS GVILIELMVS SNABELIVS.

Amicitiæ nuper, cum aquas Pyrmontanas hauriremus, contractæ, pignus Te allego, Orationem meam inauguralem *de origine & præstantia Theologiæ Hieroglyphicæ & Typicæ.* Argumentum Tibi, Vir Clarissime, haud omnino displiciturum confido. Si pertractatio ipsa rideat, habebo, de quo mihi gratuler. Memini bene, nos ultro citroque sermonem ciere *de re nummaria.* Si vacat olim, scire ex te percupio, an nummos ex ære *Matidiæ, Marcianæ, Photinæ, Didiæ Claræ, Iuliæ Aquiliæ, Mæsæ, Sæmiadis & Paulinæ* habeas. Harum Augustarum nummos vehementer desidero. Audeo etiam a Te petere, ut mihi, si æquo pretio possis, emas *Reineccii historiam Iuliam,* quæ in vestra urbe prodiit in dias luminis auras. Quæro etiam Paralipomena *Gorlæi:* si tribus admodum imperialibus haberi possint. Liber satis est exiguus, ut nosti. Si quæ tibi officia

officia grata possim reddere, in me nulla mora erit. Vale, Virorum præstantissime, & res tuas gere feliciter. Bremæ Chancorum IX. Kalend. Novembris clɔ Iɔ CCI.

LXXXIII.
EPISTOLA GEVERI
AD
EVNDEM.

Viro Excellentissimo Dn. HERM. DIETER. MEIBOMIO, *Historiar. in illustri Iulia Professori celebratissimo, Fautori suo honoratissimo Salutem!*

Te tantum Virum eruditionis & eloquentiæ gloria clarissimum, litterulis interpellare, iisque incomtis, religio esset, nisi ingens Tua humanitas, qua cunctos quoque ad Tui venerationem prolicis, miram polliceretur facilitatem. Etenim *Antonii Corvini* Biographiam paranti mihi, scrupulus iniectus est & dubitatio, de loco quodam minime pertrito, ac quod & Tua, & mea maxime intereft, in B. Proavi Tui Irminsula Saxonica obvio. Cap. V. pag. 11. edit. quam optimus Parens Tuus curavit, hæc exstant verba. - - - *Antonius Corvinus Theologus, & auctor notarum ad Conradum Vrspergensem.* Ex iis HERTIVS in Bibliotheca sua Germanica, nec non Hallenses Tom. I. Observat. obs. 20. §. 11. colligunt, Corvinum & Auctorem notarum unum esse atque eundem. An Iliacæ auctor dissertationis de statua illu-

illuſtri Harminii, Lemgoviæ ante ſexennium vulgatæ, *Waſſerbachius* Hertio atque Hallenſibus pollicem ſubrexerit, *Neocorus & Sikius* recenſum exhibentes tacuere: ego ipſam diſſertationem necdum tum inſpexi. Quo autem minus iſtorum fidem habeam coniecturæ, Thomaſii, Olearii, Slüteri, Sagittarii, & Tua inprimis facit auctoritas, quippe qui iſtud in *oratione de genuinis hiſtoriæ germanicæ fontibus*, ab amico noſtro, Io. Geo. *Eccardo*, quondam mecum communicata, prӕteriiſti. Idcirco crediderim, Virum meritis in hiſtoriam patriam vere illuſtrem, ad Corvini de miſerabili Monaſterienſium Anabaptiſtarum obſidione & excidio, epiſtolam alluſiſſe, in cuius exordio de Irminſula memini legere. Sed nil definio, Tuum modo expetens iudicium decretorium. Idem *Meibomius* alibi in chronico ſcilicet Riddagshuſenſi *vitæ Corvini curriculum* laudat, quod quidem hactenus diligenter licet inquiſiverim, meum effugit conſpectum. Vbi illud ad unius ſaltem menſis ſpatium, utendum fruendumque dare non nolueris, obſtrictum me Tibi devincies arctiſſime inque perpetuum. Vale, Vir magnifice, in Domino IESV, ac voto meo propediem ſubſcribe,

Excellentiſſ. Nominis Tui

Hannoveræ ad
VI. - - Ao.
cIɔ Iɔ CCI.

cultor officioſiſſimus
I. H. GEVER.

LXXXIV.

LXXXIV.

EPISTOLA REIMMANNI

AD

EVNDEM

Vir Nobiliss. Ampliss. & Excellentiss. Patrone æstumatissime.

Non ægre feres, opinor, quod ego qui neque de facie, nec aliunde Tibi notus sum, his litteris Te affari, & Tua negotia ἐγκύκλια interturbare audeam. Etenim cum Tua insignis humanitas laudata mihi sit a pluribus; Et ego ex Tua in vulgus etiam nota πολυιστορία sic rationem ducerem, Te comitate etiam fulgere, cum eruditus vere vix esse queat, qui non itidem humanus sit; sumsi hoc mihi, hæc ad Te dare & mentis desiderium enucleatius aperire. Scilicet stat mihi, Antiquitates Episcopatus nostri indagare paullo profundius, & totam eius historiam in Systema quoddam ordinatum digerere. Et cum in finem hunc quam plurima scripta historica cum impressa, tum etiam MSta & adhuc ἀνέκδοτα coacervaverim; ita ut Illustris *Leibnitius*, qui superiori hebdomade Dresda redux totum apud me consumsit diem, ea ipsa non sine insigni voluptate perlustraverit: *Annales Torquati Halberstadensis* adhuc deesse videntur. Quos cum in Tua bibliotheca delitescere non uno argumento

mento persuasum mihi sit, magno beneficio me obstringeres, si eosdem mecum communicare non dedignaveris. Non gratis hoc abs Te desidero; sed in ἀντίδωρον Tibi omnia mea quæcunque etiam fuerint, offero. In quibus multa eaque peregregia MSta de *Ioh. Friderico Hoffmanno* Archivario Cellensi. Et cum ex *Schmidii* vestri Excell. litteris edoctus sim, Te peculiari opera omnia Chronica monasteriorum ἀνέκδοτα editurum; ecce Tibi *Hoffmanni Chronicon Poledanum & Katelenburgicum*, & quos primo loco nominare debuissem, eius *Antiquitates Walckenredenses* &c. communicare possum. Item *chronicon* quoddam *Hamerslebiense*, in quo omnia huius monasterii diplomata a fundatione usque ad annum 1400. ipsi data. Plane ut in Hoffmannianis MStis iam citatis. Hæc inquam omnia Tibi & plura alia rursus offero, si Torquati annales indulseris. Et sicut non finit me desperare de hac Tua bonitate Tua humanitas; ita Te in præsenti tutelæ divinæ commendans permaneo

Excellentiss. Tui Nominis

Halberstad,
A. cIↃIↃCCIV.
d. 22. Febr.

cultor devotus

I. F. REIMMANN.

FINIS.

NOMINA AVCTORVM, QVORVM EPISTOLÆ HOC FASCICVLO CONTINENTVR.

M Nomi-

NOMINA EORVM,

AD QVOS HÆ EPISTOLÆ EXARATÆ SVNT.

D.

INDEX
NOMINVM ET RERVM
COMMERCII LITTERARII NOLTENIANI.

A.

B.

B.

C.

Chy-

D.

E.

F.

F.

G.

H.

H.

I.

K.

Wil-

Cornel.

O.

P.

W.